VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
15 C
434

12
14
3
29

BAPTISTÆ CODRONCHI IMOLENSIS

Philoſophi, ac Medici acuratiſſimi

COMMENTARIVS

De annis Climactericis, ac ratione vitandi eorum pericula, vitamquè producendi.

Non ſolùm artem Medicam profitentibus multum proficuus, atq; vtilis,

Verùm etiam cæteris hominibus cuiuſuis conditionis perneceſſarius.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D.

CARDINALEM RIVAROLAM

Prouinciæ Flaminiæ de Latere Legatum,

DICATVS.

Cum Indice capitum eorum, quæ hoc Commentario continentur.

Ad Illum Sui Fran. Junior à Longob.

BONONIAE, Typis Bartholomæi Cochij. M DC. XX.

Superiorum Conſenſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

D. Homobonus de Bonis ex Congregatione D. Pauli, in Metropolitana Eccleſia Pœnitentiarius pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſs. Card. Archiepiſcopo Bonon.

Imprimatur

Fr. Hieronymus Onuphrius Theologus Collegiatus Bononiæ,& ibidem Lector publicus,ac ſacræ Congregation. Conſultor pro Reuerendiſs.P.Inquiſit. Bonon. M. Paulo de Garrexio.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. D. CARDINALI RIVAROLÆ

Prouinciæ Romandiolæ, & exarcatus Rauennæ de latere Legato.

Baptiſta Codronchus perpetuam fœlicitatem.

MITHYLENEVS *ille Pittacus ſapientiam ſuam, Cardinalis Ampliſſime, & Purpurati Senatus facile Princeps, duplici ſeptenario nobilitaſſe fertur; nam & inter ſeptem Græciæ ſapientes adſcribi meruit, & Mithylene templum excitandum fortunæ curaſſe dicitur; vbi cæcum, illud cæcorum hominum plaſma, & Idolum in*

Digitized by Google

ſummo ſcalarum vtrinq; aſcendentium faſtigio, & quarum ſingulæ ſeptem omnino gradus continerent, apparentes procul, atq; honore affici religioſiſſimè poſſet. Hoc tam ſingulari commento equidem illum ad Chaldæorum myſteria reſpexiſſe crediderim; Chaldæi quippe cum ex longo rerum humanarum, æquè ac diuinarũ vſu animaduertiſſent, multas conuerſiones, multa interualla ſyderum, omnes lunæ vicisſitudines, omnia denique, aut certè potiſſima humani corporis incrementa ad ſeptenarium numerum referri, inſignem quandam mutationem in hominibus ex eo numero contingere oportere, non modo in ijs, quæ ad naturæ habitum, verum etiam quæ ad mores pertinent, neceſſitatem quandam inducentes ſtatuerunt: eadem prorſus ratione Pittacus ad eundem numerum ſeptenis illis gradibus

om-

omnem fortunæ aſcenſum, atque deſcenſum reuocare videtur voluiſſe: atqui vt illam morum, atq; ingeniorum neceſſitatem Zoroaſtreo more aſſerere impium eſt, atque à Chriſtiana religione prorſus abhorret; ſic altiſſima quæque ſacrarum litterarum myſteria, multaq; alia, quæ ad humanæ vitæ ordinem ſpectant, ad numerum illum redigi poſſe contendimus. Neq; vero hæc diſciplinæ ratio ab Aegyptijs ſolum, aut Babylonicis manauit archanis; neq; vnius tantum Varonis, aut Gellij, aut Petri Bungi, aut deniq; eorum omnium, qui de hoc numero luculenter ſanè, atque ingenioſè diſſeruerunt, auctoritate nititur; ſed vniuerſi propè orbis opinione eſt comprobata, & ſæculorum omnium firmata conſenſu: Quæ cum ita ſint, de annis tamen illis, quos Græci pariter, atque Chaldæi κλιμακτηρικὲς *ap-*

 pel-

Digitized by Google

pellant, perinde ac ſi dicas ſcalares, quoniam haud ita multi prolixius ſcripſerunt, agendum mihi toto hoc volumine decreui; non modo vt oſtenderem, in quantum ætatis ſuę articulum, capitiſque ſeptimo quoque anno, ac pręſertim tertio, ac ſexageſimo, mortalium quiſque adducat; ſed vt aliquam etiam rationem pręſcriberem, qua ſibi vnuſquiſque cauere poſſet. Iam vero hoc opus, qualecunque tandem eſt, cur tibi vni potiſſimum deſtinauerim, neminem eſſe arbitror, qui dubitat; non enim te modo per omnes dignitatum gradus ad rerum humanarum faſtigium tua virtus accepit; ſed eò te ſapientię Chriſtianæ deduxit, vt quantum ſplendore purpurę aliorum oculos, ſenſuſque perſtringis, tamen eoſdem oculos in te exempli luce conuertas. Neque ſolum Mithysleneam illam fœlicitatis humanę ſcalam;

ſed

ſed ſanctiſſimi quoque illius Patriarchę ſcalam cœleſtis Philoſophię ſymbolum angelico prorſus more emenſus es; ſed tamen eo diſcrimine, vt ex prima illa nunquàm deſcenderis; ex hac verò nunc rerum diuinarum contemplatione aſcendas, nunc ad mortalibus opitulandum, & ad rerum humanarum curam per interualla deſcendas. Quam profecto benignitatem tuam cum vniuerſus orbis, tum verò ipſe pro viribus multis illam in locis expertus admiror, et prędico. Proinde nemini mirum videri debet, ſi Climactericam hanc tractationem, & virtutem tuam ſuis gradibus deſignantem, & gratum in me animum oſtenderem tibi addixerim. Tuum erit, libellum hunc titubanti adhuc greſſu ad tuum conſpectum gradatim aſcendentem benigno nutu ſuſcipere, atque ita nominis auctoritatem confirmare, vt neque

 pro-

propria imbecillitate delapſus ad ima, neque vlla inuidorum fallacia de veſtigia deiectus, neque vlla temporis obliuione deorſum deturbatus eſſe videatur. Vale, DEVS O. M. pro Chriſtianę Reipublicę ſalute, ac incolumitate diu te ſuperſtitem, at fœlicem conſeruet.

BA-

Digitized by Google

BAPTISTAE
CODRONCHI
PHILOSOPHI,
AC MEDICI IMOLENSIS

Commentarius

De annis Climactericis

PREFATIO.

ANtiquiſſimi, ac peritiſſimi rerum naturalium obſeruatores nec vulgares homines vitæ humanæ curriculum conſiderantes, ſeptimo quoquè anno, & præſertim tertio ſupra ſexageſimum homines pleroſque corporis, & animi affectionibus conflictari, in diſcrimine verſari, ac ſæpius interire, pluribus obſeruationibus, ac periculis cognouerunt: Cum tamen aliqui his ſeptenarijs nullam recipiant læſionem, & non nulli

vale-

valetudinarij, vel ægrotantes priori reſtituantur ſalubritati, & hoc à nemine, vel à pauciſſimis obſeruatum ſit, & prior obſeruatio hucuſque ab hiſtoricis tantum, & aliquibus Aſtronomis fuerit litteris tradita, nec quicquam Philoſophi, ac Medici in ſuis lucubrationibus de ijs annis manifeſte ſcripſerint: vel aliquos illorum aliquid ſcripſiſſe vix ab vno, vel duobus ſit cognitum, qui tamen anni ſi veri ſint, vti ſunt, & eorum ſcientia nec vana, nec falſa, ſed vtilis, ac vera ad hos videtur potius illorum tractatio ſpectare, quam ad alios: cum res ſit inſignis ad vitam hominum pertinens, & naturalibus principijs inniti debeat: præterquam quod cum tam grandis, ac conſpicuus effectus vſque adhuc ratione carere videatur, fit vt pauci reperiantur bonarum literarum ſtudioſi, ac præcipuè medicinæ profeſſores, qui huic rei fidem habere velint. imo, epicureorum more omnes ferè hos annos, vti rem fictitiam, vel ſaltem dubiam, ac incertam reijciant, aut contemnant. ego autem communem ſententiam, ac vocem

mul-

multorum ſæculorum de re qualibet graui, cum veram eſſe, & plurimi faciendam ſemper duxerim, & expertus fuerim in prolapſu mucronatæ cartilaginis; de quo libellum Bononiæ 1603. impreſſum, confeci, nouerimq; ad Medicos ſpectare auctore Hippocrate lib. de arte, vt ſi morbos in totum tollere non poſſunt, ſaltem vt illorum vim, ac impetus obtundere, ac cohibere ſtudeant: rem per vtilem me facturum eſſe exiſtimaui, ſi hos annos eſſe veros, non ſolum obſeruationibus, ſed etiam auctoritatibus Hippocratis potiſſimum, & Firmis certisq; rationibus, quinimo aliquibus eſſe innoxios, atque adeo ſalutares, necnon qua ratione illorum pericula euitari poſſint, ac vita prorogari demonſtrauero. Ne tamen in re tam graui, ac magni ponderis mea me falleret opinio, has meas compoſitiones ad plures eruditos viros miſſi, vt de concepta falſa opinione, ſi ita eſſet, vel de erratis, ſi quæ commiſſa eſſent me commonefacerent: idcircò ab anno milleſimo ſexcenteſimo nono, in quo hæc lucubraui vſquè ad hunc mille-

ſimum

ſimum ſexcenteſimum vigeſimum editio-
nem diſtuli cum me vera ſcripſiſſe, & om-
nibus oblatis dubitationibus, & contra-
dictionibus ſatisfeciſſe, cognouerim.

BI-

Digitized by Google

BIBLIOPOLA AD LECTOREM.

INDVSTRIA amici mei chariſsimi diebus elapſis ad manus meas peruenit Commentarium de annis Climactericis Excellentiſs. D. Baptiſtæ Codronchi , nobilis Imolenſis Philoſophi acutiſsimi, ac Medici noſtra tempeſtate celeberrimi , virique omni virtute , ac prudentia ornatiſsimi , multis precibus à dicto amico meo ab illo obtentum , vt illud ad communem vtilitatem in lucem ederet ; Vnde omni adhibita diligentia qua potui , typis meis mandari feci . Quare ſi aliquẽ errorẽ cuiuſuis generis in ipſo inuenies , (vt fateor aliquos certe reperiri) ob abſentiam auctoris , & forſan quia ille non appoſuerat vltimam manum operi , culpam tribue mihi , & me excuſatum habeas . Vale .

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
PARTIS PRIMÆ
De annis Climactericis.

DE multiplici annorum Climactericorum appellatione, & uniuſcuiuſq; appellationis ratione, & qui nam ſint magis periculoſi, et pueros etiam ſuos terminos Climactericos habere. Cap. I. fol. 1.
Anni Climacterici obſeruationibus probantur. II. 10
Annorum Climactericorum veritas auctoritatibus confirmatur. III. 22
Hippocratis teſtimonio hos annos dari patefit. IV. 34
Adducta aduerſus doctrinam huius capitis diluuntur. V. 42
Quid, qui, et quot ſint anni Climacterici, vbi, & de annis indicatiuis. VI. 53

Cau-

Cauſę periculi horum annorum ex Aſtrologis. VII. 56
Oppoſitiones contra hanc Aſtrologicam doctrinam, ac reſponſiones. VIII. 69
Cauſę periculi annorum Climactericorum ex philoſophis, ac medicis. IX. 76
Celeberrimi cuiuſdam viri negantis veritatem horum annorum rationes, & obiectiones refelluntur. X. 103
An Climactericus ab Anno ſexto incipiat, vel in ſeptimo, & qua anni illius parte pericula, ac morbi eueniant. XI. 114

Partis Secundæ.

Vitam auxilio artis medicę prorogari, & pericula Climactericorum annorum vitari poſſe. Cap. I. 117
De remedijs vitā producentibus. II. 123
De ratione euitandi Climactericorum annorum pericula, ac per conſequens conſer-

ſeruandi ſanitatem, ac primo de Aere. Cap. III. 127
De cibo, ac omni alimentorum ratione, Cap. IV. 129
De potu, tum aquæ, tum vini, & horum electione ſumendiq; ratione, vbi potū calefactum, guſtui iucundum, ac ſanitati vtilem eſſe, ſecundo illorum opinio, qui potum maxime refrigeratum commendant. V. 140
De motu, ſeu exercitatione, ac de quiete. Cap. VI. 149
De ſomno, ac vigilia. VII. 155
De excrementorum naturalium euacuatione. VIII. 158
An coitus conferat, vel obſit ſanitati, ac vitæ longitudini. IX. 162
De animi perturbationibus. X. 170

F I N I S.

Digitized by Google

DE ANNIS CLIMACTERICIS,

Et ratione vitandi eorum pericula, vitamque producendi

BAPTISTÆ CODRVNCHI
Philoſophi, ac Medici Imolenſis,

PARS PRIMA.

De multiplici annorum Climactericorum appellatione, & vniuſcuiuſq; appellationis ratione, & qui nam ſint magis periculoſi, ac pueros etiam ſuos terminos Climactericos habere. *Cap. I.*

VARIA ij anni ſortiti ſunt nomina, dicuntur enim Climacterici, hebdomadici ſcalares, gradarij, ſcanſiles, genethliaci, natalitij, fatales, ac critici, ſeu decretorij; quadrageſimus verò nonus, quinquageſimus ſextus, ac ſexageſimus tertius peculiariter he-

Digitized by Google

roici, & inter hos, ſexageſimus tertius, androdas & androcles, appellantur. Climacterici vocantur ex aliquorum ſententia, à Climate, hoc eſt termino, cum his terminis plerunq; vita finiatur, quos per legem occiduã, hoc eſt mortis, Plinius intellexit: Aulus Gellius arbitratur, hos annos Climacterici nomẽ accepiſſe propter pericula, quæ Chaldæi, Climacteras appellant, & ſeptimo quoque anno hominibus imminent. Alij dicunt propter ſeptem Climata Climactericos appellari, ſed melius ij ſentire videntur, qui aſſerunt Climactericos dici ἀκδίμαι verbo græco, quod ſcala interpretatur, & ideo ſcalares, gradarij, & ſcanſiles à latinis ſunt nuncupati: quoniam per gradus temporibus quibuſdam diſtinguntur, vel quod per eos veluti per ſcalæ quoſdam gradus, ex quibus homines ità gradiantur, vt ſæpe eos, quemadmodum in ſcalarum gradibus contingit, ex ijs præcipitari ſoleant: Hebdomadici etiam ſunt appellati, eo quod ſeptinario numero, qui hebdomadam efficit, colligantur: Genethliaci, vel natalitij etiam vocantur, vel ab inuentoribus ſeu obſeruatoribus horum annorum, Chaldeis videlicet & Aegyptijs qui generes cuiuſq; venati obſeruabant: nam ex die & hora Natiuitatis, quas horoſcopos vocant, fortunam ho-

hominum, & ſucceſſum pronunciabant, ſicut & nunc multi, qui Aſtrologiam profitentur, faciunt, & propterea genethliaci ſunt vocati, vel genethlici hi anni dicuntur, quoniam à generi vires ſuas ſortiuntur; & magis, vel minus ſunt periculoſi prouario planetarum dominio in hora natiuitatis ſecundum Aſtrologorum placita. Fatales quoque & ratione appellantur, quod à fato (quod tamen fit ex ſumma Dei Prouidentia) proueniant, ſeu potius; quod fatum, hoc eſt, mortem afferre conſueuerint. & cum natura humana ſit vti quædam inualetudo ortus, ac interitus cauſas ab initio ſecum natas habens, naturali quodã morbo laborat, quia in ſenectutem, mortemq; perpetuò labitur, vt hinc fortaſſe ortum habuerit ſempiternæ paſſionis dogma à Galeno lib. 1. de ſan. tuen. cap. 5. pro vero receptum, & ſicut ſeptenarij dies ægritudines acutas iudicare ſolent, ita anni Climacterici vitam noſtram iudicandi facultatem habent, & ideo cretici, ac decretorij vocantur. Præterea quemadmodum dies decretorij naturam hominis, inſitumque calorem pro agente cauſa interna habent, pro materiali humores, qui morbos progignunt, pro externa agente cauſa ambientis temperiem, ac mutationem ad principium morbi relatam, ac demum lunam

illius mutationis cauſam, vt fusè in libello de cauſis Criticorum dierum poſtea à me explicatum eſt: ita & Climaterici anni, & mutationes, quæ in illis fiant eaſdem pene cauſas habent: Præterea ſicut ſeptenarij dies maximi potentes ſunt in morbis iudicandis, ita & ſeptimi quique anni in iudicanda hominis vita vti ſempiterna paſſione, maximã vim habent: Inſuper, ſicut dies decretorij per quaterniones progrediuntur, vt merito in Prognoſticis ſcripſerit Hippocrates acutos morbos per quatuor ad viginti terminari, ita & anni Climacterici: In Climactericis vero fit tantum progreſſus in primis ſeptenarijs, quia in his natura magis valens, potens, ac mobilis eſt, & ſemper per ſeptenarios ſeiunctos, ac integros fit computatio, in diebus verò Criticis aliquando ſeptimanæ integræ non accipiuntur: nam ex Galeni doctrina lib. 3. de dieb. decr. ca. 9. ſeptima dies conſtat ex ſex diebus ſeptem decem horis cum dimidia: decima quarta ex treſdecim diebus, & horis vndecim; & vigeſima ex diebus viginti, & horis quatuor cum dimidia; & quoniam terminus primi ſeptenarij eſt propinquior ſeptimo diei, quam ſexto, vtique ſeptimus eſt Criticus, & non ſextus; pariter cum finis ſecundi ſeptenarij ſit propinquior decimo quarto diei, quam principio

cipio tertij decimi diei, decimus quartus erit Criticus,& non decimus tertius : inſuper cum terminus tertij ſeptenarij ſit propinquior diei vigeſimo, quam vigeſimo primo procul dubio vigeſimus, non autem vigeſimus primus erit dies Criticus;ſcio tamen Valleſium aliter ſentire lib.9.contr.cap.2. ſeptimanas integras ex ſeptem diebus integris conſtantes in diebus decretorijs accipi, verum tamen aliquas ſimul computari, & coniungi, vt pote ſecundam, & tertiam, vt ſentire videtur. Galenus lib. 2. de Criſibus, & apertè magis lib.3. cap. 12. quò ad heroici nomen Ranzouius teſtatur, annum quadrageſimum nonum,quinquageſimum ſextum,& ſexageſimum tertium heroicos appellari propterea quod heroes plerunque in ijs intereant, & ſi aliqui non ſtatim pereunt, tamen circa hæc tempora vires valde debilitari, & frangi, morbos oriri, ex quibus raro ad priſtinam valetudinē perueniunt: & ſi in annis Climactericis non pareant,tamē, paulò ante, aut ſtatim poſt fere moriantur hos annos non eſſe ęquè periculoſos experientia comprobatum eſt, Cenſorinus eos magis homini infenſos autumat,qui ex tribus ſeptenarijs conficiuntur,vt vigeſimus primus,quadrageſimus ſecundus, ſexageſimus tertius, & octogeſimus quartus, vltimus vitæ terminus

ex Stobœi Philoſophi ſententia: Ranzouius his addit centeſimum quintum, qui etiam aſſerit periculoſiores eſſe iam relatos, periculoſiſſimos autem quadrageſimum nonũ, quinquageſimum ſextum, & ſexageſimum tertiũ, præſertim ſi malefici ſunt in ſecunda, vel octaua cœli domo natiuitatis, aut loca hylegialia ad malos planetas, & radios eorum his annis perueniunt. Nonnulli volunt ſolos duos eſſe difficilliſſimos, vnde quinquageſimum, quem ſepties ſeptem complent, & octogeſimũ primum, quem nouies nouem, conficiunt: nã cum numeri imparis alijs magis efficaces, ac validi à Mathematicis cenſeantur, & quadrageſimus nonus ex ſeptenario, & octogeſimus primus ex nouenario numero conficiantur, hac ratione hos grauiores, ac difficiliores eſſe dixerunt: Alij his addunt ſexageſimum tertium, & hos tres eſſe periculis magis obnoxios aſſerunt, quoniam ex ambobus numeris imparibus conficiuntur, vt quadrageſimus nonus ex ſepties ſeptem, octogeſimus primus ex nouies nouem, & ſexageſimus tertius ex ſepties nouẽ, & nouies ſeptem: & ideo quinquageſimum ſextum, ac ſeptuageſimum eſſe minus periculi, qui ex vno dumtaxat impari conſtant: nam quinquageſimus ſextus ex octies ſeptem, & ſeptuageſimus ex decies ſeptẽ con-

conficiuntur. Plerique quinque dumtaxat eſſe periculoſos arbitrantur, quadrageſimum nonum, quinquageſimum ſextum, ſexageſimum tertium, octogeſimum quartum, & nonageſimum primum, & priores duos ad poſteriores alios relatos minus periculoſos, omnium verò magis periculoſum eſſe ſexageſimum tertium: quoniam in eo ſeptimus nouenarius, & nonus ſeptenarius coeunt: nã ſeptem nouies, & nouies ſeptem ſexaginta tres conficiunt, quorum Priorem ad corpus pertinere dicunt, & Apolloni eſſe tributum, eo quod ſit illius Medicina: alterum verò ad animum, ac Muſis aſcriptum: quoniam animi morbos muſica lenire, ac ſanare conſueuerit: Annum hunc ſexageſimum tertium aliqui Climactericum magnum, & maximum appellant; aliqui conſiderantes, ſeptenarium, ac nouenarium eſſe terminos quos Climas huius rei periti appellant, humanæ vitæ infenſos eſſe: cum alij Climacterici anni ex vno ſolo climate, ſeptenario videlicet, vel nouenario, ſexageſimus verò tertius ex duobus ſit conflatus, conſtat hunc cæteris eſſe deteriorem, ac magis infenſum: Cum igitur annus iſte ſatis frequenter ſit horrificus, & veluti vitæ autumnus ab Aegyptijs Androdas eſt appellatus, vt Iulius Firmicus Matern. lib. 4. Matheſeos cap. 14. teſtatur,

eo quod omnem vitæ ſubſtantiam frangat, ac debilitet: Androdes etiam dictus eſt, vt Cœlio Rhodigine lib.22.lect.antiq.ca. 22. placet; quod ſicut Androcles herba, hominem occidat: numerus enim vterque ſeptem,ac nouem cum ſint decretorij, ac malefici, & ad vitam ſuccidendam pollentes, & in vnum coeant, fit vt annus iſte ante alios omnes minaciſſimus ſit: Et quamuis Cenſorinus hunc annum non eſſe malum ſcripſerit,vt refert Muſa Braſaulus, id ex ſua ſententia non aſſerit, quia alibi omnes ſeptenarios eſſe Climactericos,& ideo malos affirmauit, ſed vt ſuo Cirillo applauderet, qui hunc annum iam tranſegerat: Nec Tolomæus hos annos reijcit, ſicut credidit Rhodiginus nam ſua dogmata ſcribere pollicitus, ait non per partes,vel numeros inefficaces, & cauſæ rationem non habentes, quæ ſuperflue multi nulla ad ſuadendum ratione, fabulantur, & qui Climactericos annos ex numerorum obſeruatione ſola conficiunt, vt enneadicos, & hebdomadicos: ex quibus minime elici poteſt, ipſum hos annos ſpreuiſſe, ſed potius refellit opinionem eorum, ac præſertim Pythagoreorum, qui exiſtimãt vim annorum Climactericorum in numeris eſſe ſitam cum numeri, & numeri, & quantitas nullam in ſeipſis vim, ac efficatiam contineant:

quam

quam Ptolomæi auctoritatem, ſi Picus Mirandulanus lib.6.aduerſ.Aſtrol.ca.vltimo, ita intellexiſſet, vt intelligi debet, vtique hos annos non deſpexiſſet, cum anni ſexageſimi tertij obſeruationem moleſtam ſuperſtitionem appellet, qui tamen ex communi ſententia, & obſeruatione omnium aliorum eſt periculoſiſſimus. Nec ſolum adulti, verum etiam pueri Climactericos terminos habent; nam ſicut ſeptenarij, & nouenarij anni quandoque adultis ita menſes ſeptenarij, ac nouenarij puerulis, ſunt aſcripti, quia in illis grauiſſimis, ac periculoſiſſimis ægritudinibus laborare conſueuerunt: aliqui enim in dentium emiſſione, aliqui in lactis cum ſolido cibo mutatione, ex febribus, alui profluuio, ex ventris teneis, ex epilepſia, alijſq; puerilibus morbis, vita priuantur. ex quo Hippoc.lib.3.aph.28.& Galen. lib.2.de dieb.decret.cap.11.ſcribunt, plurimæ Aegritudines puerulis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus nō nullis vero annis ſeptem; & li.de coac.prænot.Hipp. ait, diuturnas paſſiones pueris iudicari ſeptimo menſe, anno ſeptimo, & pubertatis, qui in ſeptimi rationem incidit fere decimo quarto, quod eſt à C.Celſo lib.2.ca.1.confirmatum, cum ſcribit, omnis pueritia primum circa quadrageſimum diē,

deinde

deinde ſeptimo mēſe, tum ſeptimo anno, poſtea circa pubertatem, periclitatur: & quamuis ex lectione huius capitis colligatur, annum Climactericum accipi in deteriorem partem, aliquando tamen accipi in meliorem in ſequentibus probabimus.

Anni Climacterici obſeruationibus probantur. Cap. II.

HORVM annorum obſeruationem non ſolum eſſe veram, ſed etiam antiquiſſimam, illud apertum facit, quod Græci, Aegyptij, & Chaldæi, antiquiſſimi auctores de illis in ſuis monumentis verba fecerunt, vt in explicatione nominum eſt animaduerſum; præterquam quod ex varijs ſcriptoribus collegerim, præſertim ex Ranzouio, complures illuſtres, ac celebres viros, quibus aliquos ex noſtris ego addidi, Climactericis annis eſſe mortuos: quæ obſeruatio ortum habuit ab ineunte mundo: nam Adam primus homo, & parens noſter vixit annos 930. Geneſ. cap. 5. mortuus eſt anno ætatis 931. qui fuit annus eius Climactericus, nam continet in ſe ſepties 133. annos: deinde Cainum, quartus poſt Adam, vixit

vixit annos 910. mortuus anno Climacterico 130. continet enim in ſe ſepties 130. annos: Malaleel quintus poſt Adam mortuus eſt anno 895. cum annum Climactericum 128. ingreſſus eſſet. Lamech omnes anni fuerunt 777. & mortuus eſt, qui anni planè ſunt Climacterici: Sem, primogenitus Noe annis 602. impletis mortuus eſt Climacterico anno: Salè vixit annos 433. mortuus ergo anno Climacterico 434. qui continet in ſe ſepties 62. nam ſcriptura ſacra plerunque loquitur in ætate patrum de annis completis: ſi vera ſunt, quæ de ſancto Seruatio Epiſcopo Traiectenſi, vita eius per annos vltra 300. concluſa eſt, Ideo in anno 301. mortuus eſt, qui eſt Climactericus: Sarug, poſt diluuium primus, mortuus eſt anno Climacterico 231. qui cõtinet in ſe ſepties 33. Abraham mortuus eſt anno 175. completo Geneſ. ca. 25. qui eſt Climactericus. Iacob Patriarcha obijt anno ætatis 147. Gen. ca. 47. qui eſt Climactericus, nam continet in ſe ſepties 21. Cinera Cypriorum obijt anno 161. Epimenides Cretenſis, vixit annos 154. qui eſt Climactericus. Zebulon mortuus eſt anno 126. Climacterico maximo. Mitrius pius vixit annos 125. mẽſes tres, dies duos, ergo mortuus eſt anno Climacterico. Iuda filius Iacob anno 119. defunctus eſt ſanctus Tobia iuſtus

poſt

Digitized by Google

poſt annos 112. in pace obdormiuit: Sanctus Syrus Epiſcopus, & Confeſſor annorum 112. ad Chriſtum migrauit. Xenoilus muſicus vixit annos 105. ſine vllo vitæ incommodo: C. Lallius Zioneus, P. Quincentius Sphyrio, P. Libertus Bononienſis. T. Cettinas Chriſantus I. Libertus Fauentinus, M. Pompeius Seuerus, vrbe Tanetana: Sextus Neuius ex vrbe Parmia annos ſuos produxerunt ad 105. qui eſt Climactericus. Beatus etiam Antonius Monachus eodem anno 105. obijt: Anno vero 98. Climacterico decimo quarto mortui ſunt, Heli qui retro de ſella lapſus collum fregit, Zeno Citticus, Cleanthes, Zenonis auditor, M. Perpenna, Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ac Sanctus Agilus Abbas: Anno 91. Climacterico perierunt, Dionyſius Philoſophus, Sophocles Tragicus ſcriptor. S Hieronymus Stridonenſis, Liuia Ruttilij. Anno 94. Climacterico obierunt. S. Lucas Euangeliſta, Anna Propheтiſſa, Ageſilaus cognoměto Magnus, Franciſcus Forianus, Venetorum Dux. S. Vlſicus Epiſcopus Auguſtanus, Theophraſtus, Ioannes Arragonum, & Siciliæ Rex, Andreas Crittus Venetorum Dux, Nicolaus Zanottus; Franciſcus Bonafides medicus, Fr. Auguſtinus Righinus Theologus, Io. Petrus Caraffa Epiſcopus Theatinus poſtea Pontifex factus,

factus,ac Paulus Quartus nominatus,Bernardus Arnen Abbas, D.Horatius Bargellinus Vtr. Iur. Doct. Imolen. Alphonſus Paleottus Archiepiſcopus Bononien. Anno 77.obierunt Ariſtomēnus Poeta, Empedocles Agrigentinus,Septimus ſeuerus Imperator, Octauianus Auguſtus, Liuius Patauinus, Pomponius Atticus, Licinius Valerianus Imperator, S.Auguſtinus, S. Columba Scotus, ſeu Hybernus, Henricus primus Rex Angliæ, Dionifius Rikel Beſſarion Græcus Cardinalis,S.Odilo Abbas, Vviliabaldus Regis Eduardi Filius, Ioannes Maconius Dux Venetorum, Bartholomæus Salicettus Bonon., Baiazetes Ottomanus Imperator, Petrus Bembus Cardinalis, Antonius Nebriſſenſis, M Huldericus Martinus, Iouianus Pontanus, Ioannes Batelius, Nicolaus Ranzouius, Ioannes Riccius Cardinalis, Renatus Biragus Cardinalis, Nicolaus Catarus Brixianus,Iacobus Pontus Iureconſultus,Verius Medicus Florentinus. Anno 70. perierunt Thales Mileſius, Pittacus Mytileneus, Cliobolus Sydius, Socrates, Cyrus primus Perſarum Rex, Dauid Rex & Propheta, Philopœmanus Dux Acheorum, Erinius Poeta, Caius Marius, Herodes Aſcalonita Rex, Flauius Veſpeſianus Auguſtus, Aelius Verus, Antonius Pius, Feneſtella, Aellius Publius,

blius, Pertinax, Hilarius Abbas, ſeu Heremita, Ludouicus Germanicus Origenes Theologus, Rogerius Normanus, Otto Epiſcopus Bambergenſis, Eduardus primus Rex Angliæ, S. Brigida ex Suecia, Zoe Imperatrix Conſtantinopolitana, Alexius Comnenus, Baſilius Conſtantinus, Federicus Barbaroſſa, Andronicus Paleologus Imperator, Reuelinus, Philippus Audax, Amurathes Turcarum Imperator, Sigiſmundus Imperator, Iulius Secundus Papa, Nicolaus Vrſinus, Mattheus Curtius Medicus, Ioanna mater Caroli Quinti, Eliſabeth Ioannis Regis Dacorum Filia, Marchio Federicus de Aſpath, Iodocus Toletanus, Ioannes Michael Saracenus, Ioannes Schonerus, Nicolaus Copernicus, Franciſcus Petrarca, Federicus Dux Lignicẽſis, Matthias Brondebachius, Santes Pagnius, Ericus Dux Bruſuicenſis, Doctor Gregorius, Pontanus Senior, Ioannes Vveimam mechius Vvillelmus à Deitenbach, Ioannes Argylopulus, Gangolphus Liber, Lazarus Bonamicus, Paulus Iouius, Theodorus Brande, D. Leonardus ab Ech, M. Sebaſtianus Stenda, Pomponius Lætus, Ioannes Kocher, Eratoſtenes Cyreneus, Hieronimus Seripandus Cardinalis, Federicus Cæſius Cardinalis, Ioannes Michael Sarracenus Cardinalis, Carolus Borbonus Cardi-

Digitized by Google

dinalis, Vrbanus Papa ſeptimus, Vincentius Laureus Cardinalis, Scipio Lancellottus Cardinalis, Dominicus Senus Chirurgus inſignis, Franciſcus Curtius Iuris profeſſor, Babonus Naldus miles, & Dux inſignis, Comes Auguſtinus Herculanus, Angelus Martius Epiſcopus, Petrus Nocetus Lucen., Ioannes Laurentius Lucen., Raymundus Perauldi Cardinalis, Anno 63. interierunt, Orpheus, Anaxagoras Claromenius, Eratoſtenes, Zenocrates, Diogenes Cynicus, Ariſtoteles, Demoſthenes, Chryſippus, Darius Rex, Q. Fabius maximus, Scipio Africanus maior, MARIA VIRGO D. N. I. CHRISTI MATER ſecundum Euſebij traditionem, & computationem Bulchozeri, & ex Bergomenſis carmine, Coccieius Nerua, Adrianus Ceſar, Tiberius vndecimus Conſtantinopolitanus Imperator, Aemilia Hilaria, Venerabilis Beda, S. Bernardus, S. Bernardinus Confeſſor, Robertus Apuliæ Dux, Georgius Scanderburgius, Ioannes Boccatius, Eberahardus Suepſius, Ludouicus Bauarus, Hieronymus Aloander, D. Theodoricus Arndes, Philippus Comineus, Nicolaus Cuſanus, Ioannes Dux Saxoniæ, Beatus Rhenanus, Philippus Landgrauius, Ioannes ab oſten. & Thetis coniux, Franciſcus ab Halle, Ianus Parrhaſius, Iacobus Sturmius, D. Nico

colaus Reibeſen., D.Iuſtus Ionas Senior, Bertramus ab Alefeld, Georgius ab Halle, Helmanes à Monichauſen., Herbohardus ab Halle, Ioannes Gropperus, Georgius Spalatinus, Petrus Martir, Vermilius Bethleuſes Boahuuoldus, Auus, Pater, & Mater Danielis Ranzouij, Ioannes Baptiſta Aquilanus, Ioannes Baptiſta Mantuanus, Vlricus Dux Vvertenberg, Iacobus Puteus, Franciſcus Scroderus Doctor, Iacobus Marius Ottho Bicher, Margharita Ranzouia, Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus Mediol., Petrus Pomponatius, Bartholomæus de la Cueua Cardinalis, Ioannes Suauius Cardinalis, Hieronymus Socherus, Aruenus Cardinalis, Guielmus Alanus Cardinalis, Petrus Trapolinus Medicus, Ioannes Baptiſta Sacratus, Marcus Antonius Marſcottus Prothonotarius, Comes Philippus Pepulus Senator, Syluester Medicus Florentinus, Nicolaus Benatus Senenſis, Nicolaus Marius, & Accurſius Vandini Iureconſulti Imolenſis, Philippus Ferrus vtriuſque Iuris peritus, & Archipresbyter Eccleſiæ Imolen., Comes Euangeliſta Burdegalenſis Imolenſis, Ioannes Baptiſta Theodoſius Medicus inſignis, Aſcanius ſella Decanus Cathedralis Imolenſis, Fabritius Faellus Medicus Imolenſis, Iulius Lilius Eques, ac Muſicus celeber-

berrimus Imolenſis. Anno 56. mortui ſunt, Saturnus fundator Babiloniæ Nomrod, Dion. Syracuſanus. Cephrenes Rex Romulus primus Romanorum Rex, Manaſſes Rex, Pignalion Rex. Pub. Scipio Africanus, Iulius Cęſar, M. Antonius Auguſtus Imperator, Henricus tertius Rex Angliæ, Virgilius Poeta, Horatius Poeta, C. Iulius Agrippa, Plinius ſecundus, Conſtantinus Conſtantini magni Pater S. Monica, Caigninus Cato, Valentianus maior, Simon Monacus, Caſiminus primus Rex Poloniæ, Ludouicus Caroli Filius Rex Vngariæ, ac Poloniæ, Carolus vtriuſq; Siciliæ Rex, Ioannes Galeatius Vicecomes, Ioannes Dugloſſus. D. Bernardus Iceglorus, Adolphus Dux Sleſuici, & Comes re, Chriſtianus ſiue Chriſternus ex familia Oldenburgenſium, Sixtus Quartus Pontifex, Albertus Marchio Bradenburgenſis, Martinus Quintus Pontifex, M. Marcellus Pontifex, Franciſcus Sfondratus Cardinalis, Henricus octauus Rex Angliæ, Albertus Durerus, Petrus Oxius, Chriſtianus Rex Danie, M. Antonius Columna, D. Ioannes Heſſus, Ioannes Gerſon, M. Franciſcus Burcardus, Georgius Fabritius, Matthias Flauius, Io. Iacobus à Vvuttenuueil, Ioannes Garzeus, Antonius Comes de Oldeburg. Antonius Leua, Chriſtophorus de

Mollendorff, Ioacchinus de Mintorff, Auguſtinus Marloretus Epiſcopus, Gregorius Papa decimus quartus, Ioannes Paenz Luſitanus, Antonius Berurardus Flor, Dorotheus Brigottus Iure conſultus, Chriſtophorus Recinenſis Medicus, Vincentius Albergatus Nũcius Apoſtolicus, Antonius Gioſius Iuriſconſultus vltimus. Anno 49. obierũt, Lucius Craſſus Orator, Alexander Rex in Iudea, Tarmelanus magnus Imperator, Ladislaus Iagellonus Rex Poloniæ, Conradus Celtes poeta, Stephanus Rex Angliæ, Imperator Andronicus, Nicolaus de Rudolfis Cardinalis, Rex Ioannes Legionis, & Caſtiliæ, Camillus Paleottus, Ioannes Occolampadius, Balthaſarus Ranzouius, Iacobus Bordingus, Modeſtinus Piſtorius, M. Ioachinus Mattheus Epiſcopus, Simon Cryneus, Ioachinus Eichom, Alexander Acchillinus, Ioannes à Burghen, Alodias Pretorius, Ioannes Albertus Dux Megapolenſis, Conradus Geſnerus, Erneſtus Dux Luneburgenſis, S. Thomas de Aquino circa initium anni 50. Angelus Borginus Florentinus, Andreas Brixinus Medicus, Laurentinus Pinus ſecundus Iuris profeſſor, Pompeius Peregrinus Medicus, Conſtantia Zambeccharia, Annibal Brunus belli gloria clariſs. Baptiſta Coſpius Senator. Anno 42. Titius Veſpeſianus,

Lu-

Lucius Verus, Heraclitus Perſarum debellator, Rolandus Sororis Caroli Magni Filius, Ioannes Albertus Rex Poloniæ, Dithmarus Comes Saxoniæ, Ioannes Regimontanus, Eraſmus Reinboldus, Gaſpar Buſchius, Vuolfgangus Benius, Rodulphus Agricola, Hieronymus Ferrarien. Magnus Dux Megapolitanus, Henricus XI. Gallorum Rex, Adolphus Vvilhelmus de Donnberch, Samuel Comes de Vvaldech, Magnus Chriſtiani tertius Filius, Franciſcus Dux Luneberg, Liborius de Briede, Thadæus Gaddius Cardinalis, Carolus Vicecomes Cardinalis, Alexander Riarius Cardinalis, Hippolitus Turcus Comes Ariani, Galeatius Butrigarius Epiſcopus, Andreas Bouius Referendarius, Dominicus Sandouius Lucen., Bernardus Negaroli Comes. Anno 35. perierunt Ptolomeus Philometer ſextus Aegypti Rex, Q. Clodius, Nonia Maxima, Albertus Marchio Brandè burgenſis, Chriſtophorus Longolius, Ioachinus Brochtorff, Hieronymus Triuiſanus, Federicus Dux Saxoniæ, Abdelmelochus Rex Mauritaniæ, Manũtius Ferneſius Cardinalis, Hieronymus Michael Patricius Venetus, Annibal Paleottus Nob. Bononien., Hieronymus Miranda Hiſpanus, Portia Saracena Nob. Senen., Lucretia Appiana Nob. Piſana, Comes Anto-

nius Maria Saxatellus, & Ioannes Cagnatius Saxatellus Imolenſis. Anno 28. Perſius Flauus, Theodoricus XI. Filius Chidalberti XI. Rex Auſtriæ, Attaſia Lucana Sabina, Ludouicus VI. Lãdegrauius Turingiæ, Philippus Rex Hiſpaniarum Maximiliani Filius, Daniel Garcærus, Theodorus Morellus, Sigiſmundus Marchio, Ioannes Cotta, Ioannes Fridericus III. Dux Saxouiæ, Auguſtus Filius Cœlij ſecundi, Ioannes Alefeldaius, Iulius Acquauiua Cardinalis, Theodoricus Mollerus Iuriſconſultus, Parica Medica Philippi Strocij vxor. Anno 21. Rubea Turtulla, Petronius Antignenidis, Balduines ſeptimus, & vltimus Rex Ieruſalem, Ludouicus Gratus, Ludouicus vltimus Rex Vngariæ, Fridericus Marchio Brandunbergenſis, Melchior Scheſtedius, Margarita coniux Comitis Gurtheri, Simon Montegatius, Franciſcus Ceſar Puteus Venetus, Stephanus Lambertus Lucen., Aloyſius Benetellus, Lanfrancus Iuriſconſultus, Aemilia Rodulphia, Mattheus Hermanus Lucen. Anno 14. obierunt Filia Fundani, Valeria liberta Sabina, Eucharis Licinia, M. Iulius Licinius, Aſturus Princeps Henrici VII. Regis Angliæ Filius, Ludouicus vltimus Bleſij Comes, Caius Ranzouius, Philibertus IIII. Dux Sabaudiæ, Vulphangus Scurfius. Anno 7. Lucius

verus Cæſar, Agnes Filia Humberti III. Sabaudiæ Comitis, Margherita Ottonis Ducis Braunſuicenſis. Die 7. obijt Infans, quem genuit Rex Dauid ex Vriæ vxore 2.Reg.12.Obſeruatio autem de anno 63.Climaꝺterico maximo, ac alijs ſequentibus roboratur magis ex cuiuſdam diligẽti inquiſitione facta ex libris, quos Parochi in quibuſdam Ciuitatibus habent, in quibus nomina infantium, qui ſacra baptiſmatis aqua abluuntur, & nomina morientium ſcribuntur, vbi computatione facta illorum, qui poſt ſexageſimum annum interierunt inuentum eſt, quartam partem deſcriptorum, in tertio ſupra ſexageſimum annum ex vita deceſſiſſe, & ex alijs tribus partibus, paucos extrà alios ſequentes Climactericos, ac Indicatiuos annos mortuos eſſe, quod ſi his obſeruationibus fidem abrogare velimus, erimus ex illorum ſophiſtarum numero, qui ſicut Galen.lib.3.decret.dieb.cap.6.ſcribit, ratione manifeſtè apparentia approbari poſtulabant cum ècontrario ex euidenter apparẽtibus abditorum ratiocinationẽ indagare debuiſſent; quanti autem ſit facienda obſeruatio explicat idem Galen.lib.de ſubfigur. empir.cap.6.cum ex ea proxime ars emanet, quod & à Cicerone lib.de Diuinit. ſcriptum eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Annorum Climactericorum veritas auctoritatibus confirmatur. Cap. III.

NEc deſunt pro hac firmanda veritate grauiſſimorum auctorum teſtimonia quibus eam facillime firmare poſſumus C. Celſus lib. 2.c. 1.ait maxime omnis pueritia primum circa quadrageſimum diem deinde ſeptimo menſe, tum ſeptimo anno, poſtea circa pubertatem periclitatur.Plinius ſenior lib. 7.hiſt ca.49. ita de his annis verba facit rara, inquit, dicuntur eſſe longiora tempora,quando quidem momentis horarum inſignibus Lunæ dierum, vt ſeptem, atque nouem,quæ die, ac nocte obſeruantur ingens turba naſcatur ſcanſili annorum lege occidua, quam Climacteras appellant non ferè ita genitis quinquageſimum quartum excedentibus, hoc eſt, vt ego interpretor homines ad ſenectutem, ſeu ad longius vitæ ſpatium raro peruenire poſſunt propter inſignem alterationem quam ſingulis momentis luna, ac ſeptenarij, nouenarijq́; menſes, ac anni in vita hominis faciunt, ob legem naturæ lęthiferam, quæ Climacteras eſt vocata, ita vt qui in infauſti cuiuſpiam ſyde-

ſyderis dominio naſcuntur, quinquageſimum quartum annum non excedant quo in loco argumentum ſummæ veritatis horum annorum manifeſtè apparet, vt opus non fuerit de illis agere in lib. 18. cap. 49. vbi de temporum, & anni diſtinctione verba facit. Plinius iunior in lib. 2. epiſt. 20. ad Clauſinum narrat de quodã genethliaco, qui vt doloſè à muliere Verania vocata graui morbo laborante legatum conſequi poſſet, illi mendaciter dixit, Climactericum tempus habes, ſed euades, quæ tamen obijt. Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 6. cum ætas tua, inquit, quinquageſimum, & ſextum annum compleuerit, quę ſumma tibi fatalis erit, quidem ſpes ſalutis publicè te videbit. Varro in lib. de hebdomadibus, vt refert A. Gellius lib. 3. nott. attic. ca. 10. pericula vitæ, fortunarumq; hominum, quæ Climacteras Chaldæi vocant grauiſſima quæque ſeptenario fieri, affirmabat ex ſui vero ſentẽtia li. 15. c. 7. teſtatum reliquit, obſeruatum in multa hominum memoria, expertumq; eſſe ex ſenioribus pleriſque ſexageſimum tertium annum cum periculo, ac clade aliqua venire, aut corporis, aut morbi grauioris, aut vita interitus, aut animi ægritudines: Propterea qui rerum, verborumq; iſtius modi ſtudio tenentur, eum ætatis annum appellant Clima-

ctericon. Noctéq; iſta proxima ſuperiore cũ librum epiſtolarum D. Auguſtini, quas ad Caium nepotem ſcripſit, legeremus id ipſum in quadam epiſtola ſuper eodem anno ſcriptum offendimus, eiuſq; epiſtolæ exemplum hoc eſt. Aue mi Cai &c. ſpero lætum, & bene valentem celebraſſe quartũ, & ſexageſimum natalem meum: Nam, vt vides, Climactera communem ſeniorum omnium tertium ſexageſimum annum euaſimus. Cenſorinus in libro, quem de ſæculis edidit de his annexa verba facit, & in libro de die natali poſt ſeptimum quinque annum articulos quoſdam pati, & in ipſis noui quidpiam naturam oſtendere teſtatum reliquit. Seneca etiam li.7. de benef. ſcribit: ſic in hoc ſtudio multa delectant, pauca manent, licet neſcias quæ ratio Oceanum effundat, ac reuocat: quare ſeptimus annus ætati ſignum imprimat. Iulius Firmicus Maternus lib.4. Matheſeos cap.14. ait inter cæteros præterea diametros hoc maxime obſeruãdum eſt, quod ſepteni anni, ac noueni per omne vitæ tempus multiplicata ratione currentes, naturali quadam, ac latenti ratione varijs hominem periculorum diſcriminibus ſemper afficiant, vnde, & ſexageſimus tertius annus, quia vtriuſque numeri ſummam pariter excipit, androdas eſt appellatus nouies enim

ſeptem

ſeptem anni ſexaginta tres fiunt, & rurſus ſeptíes nouem ſimili modo fiunt anni ſexaginta tres: quia itaq; vtriuſq; numeri curſus in hoc anno ſequuta ratione concurrit, grande ſemper periculi diſcrimen imponit ſi enim ſepteni, & noueni, qui hebdomadici à Græcis, atque enneatici appellantur, grauia ſemper hominibus inducunt pericula, quid annus faciet ſexageſimus tertius, qui vtriuſq; numeri multiplicatam, & inuicem ſibi obligatam perficit ſummam? Hæc igitur de cauſa androdas ab Aegyptijs dictus eſt, quod omnem vitæ ſubſtantiam frangat, atq; debilitet. Cœlius Rhodiginus lib. 22. lect. antiq. cap. 12. eadem ſcribit paucis mutatis, & quibuſdam additis ita, ſeptinarius numerus, quem maxima ingenia mirari nón ceſſant, ſepteni porrò, & noueni, quos hebdomadicos, & enneaticos vocant, grauia ſemper hominibus inducunt pericula, verum grauiora, multo annus ſexageſimus tertius, qui numeri vtriuſque multiplicatam, ac inuicem obligatam ſibi ſummam perficit. Quo ſanè argumento Andracles appellatur, quod vitæ ſubſtantiam frangat omnem, & cōminuat, ſicut andraclem herbam, quia hominem occidat, dici putant: & lib. 21. cap. 1. allata. A. Gellij auctoritate ſubdit auctor eſt Iulius Maternus propterea ſexageſimum tertium

tium annum præcipuè videri periculis inſignem, quoniam numerus vterque ſeptem, ac nouem, qui decretorij, ac malefici ſint, & ad vitam ſuccidendam pollentes in vnum, quaſi confluant: nouies enim ſeptem, & ſepties nouem ſexaginta tria efficiunt, & ob id Climactericus præcipuè is annus vocatus, qui à ſeptenio incipiēs vitam hominis quaſi per gradus quoſdam agat, ita, & quinquageſimus quartus, & alij minores Climacterici vocantur, quoties aut per ſeptem, aut nouem conſurgunt. Omitto pleroſque recentiores qui de his annis multa ſcriptis tradiderunt, vt Antonium de Gueuara Epiſcopū Claudomitenſem vocatum lib. 1. ſuarum epiſtolarum ad Almirantem D. Federicum: Petrum Meſſiam in prima parte Siluæ Variarum Lectionum cap. 41. & noſtris diebus Ioſephum Roſcium Sulmontenſem, & Henricum Ranzouium, qui in Catalogo Imperatorum, qui Aſtronomiam exercuerunt, tractatum integrum de his annis confecit: & peculiariter ſequentia verba habet: Quantum autem ego in tam paruo numero annorum ætatis meæ iam enim 56. annum Climactericum exceſſi, per aliquot annos obſeruare potui, animaduerti quod in ſingulis ſeptem annis moleſtiarum, & calamitatum aliquid expertus ſum, & quod fortuna,

aut

aut in meliorem ſtatum, aut in deteriorem ſemper paululum mutata, & quod corporis robur, vigor, & humor alteratus, & ad aliam conſtitutionem conuerſus: nec dubium eſt, annoſos, & communi ſenſu prædictos homines in proprijs rebus, & corporibus, ſi præter lapſos in memoriam reuocare velint eaſdem ferè ſeptenorũ alterationes expertos eſſe: Franciſcus Iuntinus in Ptolam. de aſtrorum iudicijs lib 3. cap. 12. multa de his annis ab alijs accepta explicat, præſertim obſeruatione dignum eſſe annum Climactericum, cum experientia ſit compertũ, non tantum diebus Criticis, ſed etiam hoc ſcalari anno inſignes fieri mutationes cum totius vitæ, tum etiam valetudinis noſtræ. Franciſcus Petrarcha in epiſtola ad Bocatium agit de annis Climactericis, & præter citatos autores de his annis ſcripſerunt, teſte Ranzouio, Plato, Philo. Iudeus, Cicero, Boetius, D. Ambroſius, D. Auguſtinus, Beda, Georgius Valla, & multi veteres, & recentiores Philoſophi, ac docti viri nobiſq; in monumentis reliquere, hanc obſeruationem non eſſe ſuperſtitioſam, ſed vſu, & experientia comprobatam: cauſas autem non adferunt, quare annis his certis talia contingant: quam quam in eo conſentiunt, quod ita hoc fieri conſtet, non explicant: ex celeberri-

rimis, & inſignibus Philoſophis, ac medicis, qui hos annos fatentur, ego reperi præſtantiſſimum Auerroem, qui lib. 3. collect. ca. 7. apertè de his annis verba facit, cum ſcribit: & aliquando accidit à generatione, ſicut accidit leproſis, & maior pars talium ſit ab hæreditate, aut propter coitum cum menſtruata in diebus, quos Zucchara dixit, quia lepra illa à beneficio medicamentorum curam non recipit, niſi fiant tempore criſis annorum, quod natura ordinauit, & hos teſtificatur mirabilis Zucchara, & ego expertus ſum: hæc Auerroes; nos ſupra diximus, quod ſicut in morbis iudicandis natura dies decretorios conſtituit, ita & in vita hominis Climactericos annos effecit: & quemadmodum in diebus Criticis criſis fieri poteſt ad ſalutem, vt plerunque fit, ita & in annis Climactericis, ſi homo ante illos ægrotabit adueniente anno Climacterico priori ſalubritati reſtituatur; nam in Climactericis annis mutatio fieri ſolet, vel in meliorem habitum, vel in deteriorem, in bonam, vel malam valetudinem, vt non ſolum melius ſana corpora degant, ſed & ſi morboſa ſint, annus Climactericus medicamentis vim præſtet, vt fælicius ſanitati reſtituantur: præterea cum multa ſint, quæ criſim in morbis interturbare ſolent, vt aliquando illam alijs

diebus

diebus videamus, ita in annis Climactericis ratione varietatis temperamentorum aliarũ veterum non ſemper ægrotant homines, vel potius alijs annis, vel ſi antea ægrotent, ſani fiant: appellat igitur Auerroes annum Climactericum vitæ iuditium, ſiuè criſim annorum à natura inſtitutam, in qua ægritudines difficillimæ, quæ alijs annis debellari non potuerunt, hoc anno ratione mutationis temperamenti, & qualitatum humorum curationẽ recipiant, vt eſt lepra à natiuitate, vel in coitu impuro contracta, quæ beneficio medicamentorum in anno Climacterico ſanatur, vt ipſe vna cum Zucharam expertus eſt. Hanc tamen auctoritatem aliqui parui faciunt, eo quod Auerroes non ex ſua, ſed Zucharæ ſententia ea ſcripſerit, quibus reſpondere oportet; ſi vera illa haud eſſe Auerroes cognouiſſet, ſine dubio refutaſſet, vt multa alia reiecit, quæ ipſe non probabat: cum tamen hanc ſententiam veram eſſe exiſtimauerit eam titulo mirabilis, & experientia ſua confirmauit. Hinc eſt, quod Cardanus in commentarijs libri de ſeptimeſtri partu quamuis Climactericos annos ſpreuerit, inuitus tamen, ac nolens vim, & naturam illorum patefacit, aſſerens, ſe nunquam melius habuiſſe, quam annis Climactericis, inditium apertum, mutationem inſignem eſſe

in

in corpore factam quamuis enim ſanitas terminata ſit teſte Ariſtotile lib.10.Ethicor. c.3. ſuſcipit tamen magis, & minus, intenſionem, ac remiſſionem quas intenſiones, ac remiſſiones anni Climacterici deſignant, ac proinde neceſſario afferunt mutationem in meliorem, vel deteriorem habitum, in bonamq́, vel malam ſanitatem deducũt: nam quemadmodum diximus, & repetere non grauamur, dies decretorij, vel integre decernunt, vel inſignem faciunt mutationem ad ſanitatem,vel ad mortem;ità anni Climacterici aliquando homines ad meliorem habitum, vel deteriorem in bonam, vel malam valetudinem deducunt ſicut in eorum definitione dicturi ſumus hanc mutationem aduerſi valetudinis, temperamenti ac totius corporis in anno ſexageſimo tertio multis ab hinc annis ego obſeruaui in Reuerendiſſimo Patre Vincentio Herculano Epiſcopo Imolenſi, qui nõ ſolum valetudinarius, verumetiam paſſione hypocondriaca,vertigine, & catarrho affectus, macer, calidus, & ſiccus, pallidusque ab Epiſcopatu Imolenſi ad Peruſinum à Gregorio XIII.translatus ſanus, calidus,& humidus,opimus,ac coloratus magna omnium admiratione effectus eſt. Quam mutationem ad ſtatum meliorem, & ab ægritudine ad ſalutem,cum veteres ſcriptores non ani-

animaduerterint, ſicut Auerroes fecit, nõ eſt mirum, ſi annos Climactericos omnes periculoſos, vel periculis obnoxios ſcripſerint, cum tamen præter Auerrois auctoritatem, cui in hac parte magis quam cæteris omnibus habẽda eſt fides, experientia ſit manifeſtum, non eſſe verum in omnibus Climactericis, ſicut nec in omnibus hominibus: Antonius Muſa Braſaulus lib. 3. com. 13. aſſerit, annum Climactericum eſſe ſexageſimum tertium, ac de alijs Climactericis aliorum opiniones recenſet, ſexageſimum tamen tertium eſſe periculoſiſſimum probat. Marſilius Ficinus in lib. 2. de vita producenda cap. 20. ait, in ſeptimo quolibet vitæ anno fit in corpore mutatio maxima, Ideoq; periculoſiſſima quandoquidem ſaturnus communiter eſt peregrinus, & tunc ab eo planetarum ſummo ad lunam è veſtigio planetarum infimam gubernatio reddidit, & in comm. li. 8. de repub. Platonis aſſerit ſeptenarium numerum multa metiri per annos quidẽ mutationem in vita, per dies autem mutationem in morbis per horas vero, tum in bonum, tum in malum. Leuinus Lemnius lib. 2. de occult. naturæ miraculis cap. 72. Climactericorum annorum vim, ac potentiam admiratur, ac ſuſpicit, quamuis in reddenda illorum cauſa rectè non ſenſerit Ferdinandus Mena in cõmen-

ment. lib. de ſeptimeſtri partu c. 15. ait: quinque ſeptenarijs vigent homines, ac ſeptimum Climactericum præſagium tranſigunt. Franciſcus Valeſius maxime omnium hos annos probat in commentarijs epidemiorum, ac in ſacra Philoſophia vbi in cap. 7. ſcribit, Climactericos annos vocauit antiquitas quoſdam, in quibus obſeruatum eſt, plurimum vitas finiri quod ſint anni illi velut gradus quidam ſcalæ humanæ: Hi ſunt quaſi fatales moriendi fines non abſimiles diebus decretorijs morborum: & in commentario lib. 2. epid. ſec. 6. tres enarrans Hippocratis ſententias, in illis de menſibus, & annis Climactericis Hippocratem verba feciſſe multis probat. Ioannes etiã Lalamantius in com. lib. Galeni de dieb. crit. & Filippus Baroaldus in Plinij annotat. eandem habent de his annis opinionem Hieronimus Mercurialis in præ lectionibus piſanis in epidemicas Hippocratis hiſtoricas hiſtoria prima ſcribit: ſunt autem, huiuſmodi hiſtoriæ in lib. 1. quattuordecim in tertio vero viginti octo, ita vt omnes ſint quadraginta duo omnis ætatis, & omnis ſexus: neque eſt opus, vt philoſophemur circa hunc numerum fatalem, qui componitur ex ſeptimanis ſex, quandoquidem ſimilem numerum haud quaquam ſtudio vllo ipſum accepiſſe puto, quemadmodum

quo-

quoq; haud paruifaciendus hic labor Hippocratis,quaſi vero ipſe multa obſcura,& aſpernanda videatur notaſſe, & nimium quantum paucos ægrotos viderit, quoniam diuinum illud ingenium hoc maxime eſt admirandum, quod notauerit quę alijs non videantur adnotatione digna Fabritij Padouani Foroliuienſis quædam lectio materno ſermone in Academia habita Bononiæ vero 1602.typis tradita, in qua etſi polliceatur ſe velle agere de annis Climactericis, ac illorum cauſis, nihilominus dumtaxat diſputat, qui nam ſint illorum magis periculoſi ratiocinationem verò de cauſis à quibuſdam fuiſſe ablatam, quidam medicus Foroliuienſis teſtatur manu propria in exemplari. quod ad manus meas peruenit Federicus Bonauenturæ lib.6. de Ortimeſtri partu c. 50. qui nam ſint Climacterici anni, & quot,& qua de cauſa periculosè ex aliquorum ſententia explicat, & cap. 51. cauſam quam ipſe veram eſſe exiſtimat, ac recte affert, & multa alia ad hanc diſputationem ſpectantia in nonnullis antecedentibus, & ſubſequentibus capitibus docet, & fuſius,quam quiuis alius medicus fecerit ex ijs quos quidem ad huc mihi legere contigerit. Iacobus Mazzonius in epiſtola dedicat. lib. 1. de comparatione Platonis,& Ariſtotelis ſcribit: tertia eſt ratio,quod

C hoc

hoc anno 49. inter alios poſt 63. maxime Climacterico, cum per ſeptenarium in ſe recurrentem annorum hebdomadas comprahẽdat, tantus aliquos &c.: quod autem hæc doctrina reijci debeat, vt aliqui dicunt, ex eo quod, nec Plato, nec Ariſtoteles, nec Galenus alij vt probatæ auctoritatis de his meminerint, vel aliquid ſcripſerint, eſt leue argumentum, & nullius momenti, cui tamen ſatisfacere poſſunt ea, quæ in cap. 5. lib. 1. de morb. veneſ. de Ariſtotele ſcripſi, quæ & alijs conuenire poſſunt.

Hippocratis teſtimonio hos annos dari, pateſit. Cap. IIII.

SED quid amplius moror in recẽſendis horum, & aliorum anctoritatibus, cum vnus Hippocrates, quem ego non tam medicorum principem, quam medicinæ parentem dixerim, inſtar omnium eſſe poſſit, eiuſq; auctoritas vna longe ante alios omnes plurimi facienda eſſe videatur ille enim lib. 2. epid. ſec. 6. ſententia adnotatione digna Climactericos annos manifeſte dari, ac eſſe indicat, cum ait, interceptio morbi fieri non poteſt,

Digitized by Google

teſt, niſi in die legitima, neque principium fieri niſi in die illegitima, & menſe, ac anno legitimo: quæ tamen ſententia non ſolum ex Cornarij interpretatione aliter ſcripta eſt, videlicet, interceptio morbi fieri non poterit, niſi in die impari: neque principium fieri poterit niſi in die pari, itemq; menſe ac anno pari, verum etiam ex alijs duabus ſubſcriptis vſque ad tempus Franciſci Valeſij nullam recepit interpretationem propter nimiam obſcuritatem, quam verbum Græcum γονιμος attulit, ita vt Mercurialis in ſuis annotationibus dubitauerit, vtrum ſpuria ſit illa ſententia, & Hippocrati falſo aſcripta: Cornarius igitur ſequutus Heſychij, & Erotiani lectionem verbum γονιμος imparem interpretatus eſt. Alij vero aſſerunt, verbum illud nunquã per inæquale, nec per quantitatem numericam accipi, ſed pro qualitate ſeminali, prolifica, ac fertili, & idcirco γονιμὸς fœcundus, & non impar verti debere: Ferdinandus Mena in comment. lib. de Septimeſtri partu γονιμος præſtans interpretatur, & Petrus Salius Diuerſus in comment. lib. 4. de morbis, hoc verbum γονιμος. quod ſcribitur etiam in eodem Hippocratis lib. 2. ſec. 5. vbi ait Hippocr. ſi febris non dimittat τῷ γονιμῳ. vertit in naturali die, ideſt, qui legitimus, & legitime

iudicare debet: Valeſius vero aliam ab his, ſed ſimilem habet interpretationem, nam γονὶμος. legitimum tranſtulit: & quamuis Federicus Bonauentura in lib. 6. de Octemeſtri partu ca. 70. volens imparis, & paris numeri dignitatem commendare dicat, Hippocratem tritiſſimis, ac conſuetis illi vocibus omiſſis ſcilicet ἀρτζιον, & περιτζον paritatem, & imparitatem ſignificantes, hac altera voce γονὶμνος vſum fuiſſe, vt vtranque periodum, parem ſcilicet, & imparem ſignificaret, nihilominus Valeſij interpretationem laudat, & in ca. 51. eiuſdem libri omiſſa omni alia explicatione, illam Valeſij recipit, & ſi verum eſt, quod aliqui ſcribunt in quodam contextu loco verbi γονιμνος, legi γνῆβιος cum id verbum nullam patiatur difficultatem, omnes enim volunt legitimum ſignificare cum hac interpretatione, aptiſſimè Climacterici menſes, ac anni deſignentur, & eorum natura rectiſſime explicari poſſit, & debeat, nulluſq; alius ſenſus ex illis ſententijs elici poſſit, horum clariſſimorum virorum auctoritati, & interpretationi, ac præſertim Valeſij innixus, has ſententias explicare aggredior, quibus Hippocrates menſes, ac annos Climactericos nobis patefacit. Nam morborum quidam ſunt dies, menſes, & anni legitimi, & nonnulli ſunt dies, menſes,

&

& anni illegitimi: legitimos morborum dies vult Hippocrates illos eſſe, in quibus vel ſalus, vel interitus ægrotantis, vel inſignis mutatio, vel ad ſalutem, vel ad mortem accidit, quam mutationem Hippocrates interceptionē vocat, quia in ea morbus ſolet terminari, qui dies ſunt morbi velut articuli quidam, & decretorij, ſeu critici dicuntur: illegitimi verò morborum dies illi ſunt, in quibus inſignes huiuſmodi mutationes non fiunt, vt ſunt primus, ſecundus, & alij qui morbum non indicant, vel dies illegitimi dicuntur omnes totius anni dies, in quibus homines ægrotare poſſunt, vt hos incertos rectè nuncupare poſſumus: & quamuis morbi in ſingulis anni diebus excitari poſſint in ſingulis tamen finiri, vel mutari non valent, niſi in quibuſdam, ideo hos legitimos, illos verò illegitimos morborum dies vult Hippocr. eſſe: menſes autem, & anni legitimi morborum ſunt illi, in quibus vt plurimum contingit homines mutari, vel ad bonum, vel ad malum, itavt ſi ſani ſint in illis firmiorem adipiſcentur valetudinem, vel ægrotent, ſicut frequēter vſu venit; vel ſi morbo aliquo diuturno, ac contumaci laborauerint annorum horum efficacitate primi reſtituantur valetudini, Illegitimi menſes, & anni ſunt omnes alij præter Climactericos, in qui-

bus non ita frequenter ægrotare homines cõtingit; nam vt Climactericis naturæ quadam neceſſitate ægrotare ſolent: in alijs vero nulla inuenitur interna vis, ac neceſſitas quæ ægrotare cogat: interceptio igitur morbi, hoc eſt, ſolutio non fit, vel fieri non ſolet, niſi in die legitimo, hoc eſt decretoria, neque principium niſi in die illegitima, ideſt incerta, & menſe, & anno legitimo, hoc eſt ſeptenarijs, ſeu Climactericis in quibus frequenter vitæ pericula apparent: cum tamen in aliquibus nullum diſcrimen appareat, vel etiam ægritudinis ad ſalutem finiatur, & quemadmodũ in morbis dies quidem ſunt Climacterici, ſed in vita hominis, & menſes, & anni Climacterici exiſtunt, Ideo recte Valeſius menſes, & annos coniungit, & dies ſeparat, quicquid dicant alij; nam impares menſes, & anni in morbis ſunt legitimi, & non pares, ideo morbi fieri ſolent in diebus omnibus, finiri vero niſi in decretorijs, ac imparibus, & Comarius male ſcripſit, vbi menſes, & annos, in quibus ægrotare contingit, pares, ac illegitimos facit, cum tamen impares ſint, ac legitimi: Alibi autem Hippocrates partus, dentitiones, & loquelam quibuſdam menſibus ſeptimò ſcilicet, ac nono fieri conſueuiſſe, ac ætates hominis ſeptenis annis finiri, in quibus

cum

cum natura illius mutetur, in illa etiam mutatione morbi noui, qui illis ſunt familiares exercitantur, quos ipſe in tertia Aphoriſmorum ſectione recenſet, nam quemadmodum in ſucceſſiuis temporum mutationibus morbi noui propter ſuarum qualitatum mutationē fiunt, quos in prima parte eiuſdem ſectionis perſecutus eſt Hippocrates, ita & in ætatum mutationibus propter naturæ mutationem ac alterationem, morbi quidam excitantur: Homines verò ita migrare in diebus decretorijs, ac in menſibus, ac annis Climactericis in alio ſubſequenti contextu docet Hippocrat. cum ait, quicumque obeunt, neceſſe eſt in die legitimo, & legitimo menſe, & legitimo anno; quod tamen euenire vt plurimum, & non ſemper intelligendum, vt & omnia illius enunciata, quæ nunqnam ſunt ſempiternæ veritatis, intelligi debent neceſſe enim eſt, vt in illis diebus, hoc eſt decretorijs homines moriantur, in quibus incolumes fiunt: eiſdem etiam menſibus ac annis, hoc eſt Climactericis, opus eſt, obeant ex morbis, quibus ægrotare ſolent. Climactericorum annorum naturam noxiam, ac ferè lethalem in morbis mox in alio contextu explicat ita: quorum occuli non ſunt robuſti, mors in proximo, ſi autem in anno legitimo fiat, ab vtroq; legitimos fieri

neceſſe eſt : ſi autem illegitimo anno, ac illegitimo die, neceſſe eſt mori die legitimo : & Lethalibus morborum acutorum notis, vnum affert. Hippocrat. oculorum imbecillitatem, ac infirmitatem, quos non robuſtos appellat, quæ cognoſcitur; ſi ægrotantes lumen refugiant, aut nolentes illacriment, aut peruertantur, ſeu diſtorqueantur; ſi inſtabiles ſint, ſi tumidi, vel cares admodum fiant, & alia circa illos appareant, quæ in hoc opere, & li. 1. progn. tex. 2. & 7. recenſet: quod inditium, & alia ſimilia, quamuis in die decretoria interitum præſagiant, ſi tamen contingat ægritudinem fieri in anno Climacterico, duplici nomine erunt lethalia, & ratione diei, & ratione anni, & ita diſcrimen duplicabitur: nam ſigna mala in diebus decretorijs apparentia deteriora fiunt, & morbi in annis Climactericis maioris ſunt diſcriminis, ita vt de laborantibus acuto morbo in menſibus, & annis Climactericis, ſit magis timendum, quam ſi alijs menſibus, vel annis ægrotarent. & hoc eſt, quod dixit Hippocrates, ſi hoc ſignum, vel aliud ex Lethalibus anno legitimo, ac die appareat, ab vtriſque, hoc eſt, ab vtriuſque temporis vi legitimas fieri ſignificationes, neceſſe eſt, & proinde æger eodem die morietur : ſi autem morbus fiat anno non legitimo,

&

& non legitimo die, hoc eſt alijs præter iudicatorios, morietur quidem æger, non eodem tamen die, ſed aliquo ſequentium criticorũ, aliquando tardius, ſi vtrumque ſit illegitimum, aliquando citius, ſi alterum tantum ſit legitimum, dies, vel annus. libro etiam de ſeptimeſtri partu Hippocrat. aperte hos indicauit annos, vbi ſcribit, morbos, ſanitates, conceptus, abortus, & partus ſuos habere dies, menſes, & annos, in quibus fiunt, in omnibus enim his temporibus, ſubdit Hippocrates ad vnumquemque, & vtilia multa, & hoſtilia multa: vbi annorum nomine, ætatum annos intelligit, & Climactericos, in quibus huiuſmodi mutationes hominibus eueniant: Inſuper in lib. coac. prænotionum, cum ait diuturnas paſſiones iudicari pueris ſeptimo menſe, anno ſeptimo, & pubertatis, qui in ſeptimi rationem incidit ferè decimo quarto: quem locum de ijs menſibus, & annis recte interpretari poſſumus.

Ad-

Adducta aduerſus doctrinam huius capitis diluuntur. Cap. V.

ADVERSVS doctrinam huius capitis quidam ingenioſi, ac docti viri multa obijciunt, & primo, quod quamuis verum ſit, Hippocratem in aliquibus locis eſſentiam, ac malam horum annorum naturam innuere, de ijs tamen annis ſcripſit potius, ne ſilentio præteriret id, quod communi conſenſu ab Aſtronomis, ac Aegyptijs vbique diuulgatum erat, quàm quod id crederet; nam ſi hos annos admiſiſſet, aliquam Philoſophicam rationem attuliſſet: imò cum aliquid de diebus criticis, & indicatiuis ſcripſerit, in vigeſimo die magis criſes fieri, vbi Archigenes in vigeſimo primo eos fieri obſeruauit rationem tacuit: & Ariſtoteles, qui rerum naturalium fuit diligentiſſimus indagator, nuſquam de ijs ſcripſit: quoniam de ijs agere, in quibus, nec ſenſum, nec rationem aliquam ſatis probabilem, aut topicam inuenire nequibat, ſcienter abſtinuit. ſecundo circa illa verba: neque principium fieri poterit ægritudinis, niſi in die illegitima, hoc eſt, incerta, ac menſe, & anno legitimo, talis pro-

propoſita eſt mihi contra ratiocinatio: principium morbi fieri poteſt in anno non Climacterico, ergo eo loci annus legitimus non eſt Climactericus. antecedens experientia patet, probatur conſequentia ſic, quando quidem principium morbi fieri poteſt in anno nõ Climacterico puta quadrageſimo ſeptimo, vel ſexageſimo primo, vel & c. fiat, tum annus ille erit legitimus ex Hippocrate, quia vt aſſeris ipſe principium morbi fieri non poteſt niſi & c. & anno legitimo ergo ſi principium morbi fieri poteſt in anno non Climacterico eo loci annus legitimus non eſt Climactericus: dilucidius. Aliquis annus non Climactericus eſt legitimus, ergo per li anno legitimo non cogimur intelligere, ac interpraetari Climactericum, probatur antecedens: annus in quo fit principium morbi eſt legitimus, ſed aliquis non Climactericus eſt huiuſmodi, ergo aliquis annus non Climactericus eſt legitimus: maior eſt Hippocratis citati, minor patet experientia: multi enim incipiunt ægrotare anno non ſeptenario, neque nouenario acceptis, ſiue cum mutua obligatione, vt loquebatur Rhodiginus, ſiue ſine eadem, ſeorſum videlicet, conſequentia prioris argumenti eſt euidens per ſe, & notandum eſt, quod tu prima vice Hippocratem citas, ſic neque prin-

ci-

cipium morbi fieri poterit, & inferius loco verbi poteſt, ſcribis, ſolet, in qua mutatione verbi poſſum in verbum ſoleo, argumentũ ſuam vim retinet. Quibus oppoſitionibus, vt veritas lucidior appareat ſatisfacere adnitar; Ac primum ad illud Hippocratis reſpondeo: Hippocratem nuſquam rem aliquam vanam, vel falſam ſcripſiſſe, nec vnquam magni æſtimaſſe vulgarium opiniones; quæ ratione carerent, vel ſenſui ignotæ eſſent Imo, vbi occaſio illi erat oblata, audacter eas confutabat, ſicut vt hinc exordiar, feciſſe in libro de ſacro morbo, notum eſt, in quo Magos tunc apud vulgus magnæ exiſtimationis viros, ac maleficos repræhendit, eo quod malorum cauſam, & epilepſiæ potiſſimum refunderent prætextu religionis auaritia ducti, in Deos cum ipſe exiſtimaret Deum, ſeu Deos malorum non eſſe auctores: qua de re in 1.lib.de morb. venif. cap.7.ſcripſi: ſed multo magis initio libri de victus ratione in morbis acutis, Medicos Cnidios reprehendit, qui in libris ſuis Cnidiæ ſententiæ vocatis, res vulgo notas, ac medicis indignas ſcripſerint, ac alias minime neceſſarias addiderint, multa quæ vtilia, ac ſcitu neceſſaria omnino prætermiſerint, ac etiam, quod teſtatur Galenus lib.de Hipp.& Plat.decr.ca.6.morborum differentias ſecundum genus,

nus,& ſpecies ignorarent, & nihilominus Medici illi erant in magno prætio, cum vnam ex tribus præcipuis Græciæ ſcholis, conſtituerent. Ideo Hippocrates flocifaciens opinionem de illis in vulgo conceptam,libere eorum ignorantiam patefacere voluit: quod Galenus lib. 1.de element.cap.4.confirmat vbi verba faciens de antiquorum opinionibus circa elementorum numerum ſcribit ſic: Hippocrates autem illis contradicere aggreſſus eſt, quoniam quæ non conueniunt aſſerebant, neque rationibus ſaltem probabilibus probabant; quod ſi Hippocrates veritatis amore, rationem non habuit medicorum, qui in magna erant exiſtimatione, multo minus reſpexiſſet perſonas Aſtrologorum, ac Aegyptiorum: quod autem Hippocrates nihil inutile, nihil inane, nec ad vulgi obſequium ſcriptis tradiderit, præter allatas auctoritates Galenus de illo pluribus in locis teſtatur, nam lib. 6.de vſu partium cap.6.ait nam,ne id quidem, quemadmodum nec aliud quidpiam fruſtra dixit. Hippocrates, & in li.3.de dieb.decret. ca.20.enim vero nec aliud quidppiam ab Hippocrate fruſtra ſcriptum inuenio: Quod ſi, nec inania, ac inutilia ſcripſit, multo minus falſa, vel veritati parum conſona, ſicut omnes boni auctores teſtantur, ac præcipue Gale-

lenus, qui in lib. de facul. natur. cap. 13. ait, porrò intelligi licet, quam recta, vtraq; Hippocratis dogmata ſint, & in lib. 1. de vict. rat. in acut. com. 44. omnia ſi quidem in operibus omnibus dicta ſunt à nobis, qui veriſſima Hippocratis dogmata ſequimur, ex quo lib. 1. de dieb. crit. ca. 4. vocat Hippocratem hominem veracem: quapropter minime dubitare quiſpiam debet quin doctrina illius de annis Climactericis, ſit vera, imò veriſſima. Nec refſert, quod Hippocrates has ſententias ratione omni deſtitutas, ſcripſerit, vt qui breuiter, conciſe, & obſcure ſcribere, recondita ſimpliciter proponere, at quæ euidenter apparent, abſque vlla probatione traddere conſueuit, vt Galenus lib. 2. & 3. de alimentis lib. 8. Meth. ac alibi teſtatur, Nam ſi opus eſſet, vt ſuorum dogmatum, ac ſententiarum, quę pro oraculis iam habitæ ſunt, rationes afferret, omnis ferè illius doctrina rueret, ac inanis eſſet, præſertim illorum librorum, qui illius ſine vlla dubitatione ſunt proprij, ac germani, vt librorum Aphoriſmorum, Prognoſticorũ, de victus ratione, morborum acutorum, ac aliorum huius generis, in quibus ſuarum propoſitionum, ac ſententiarum nullam affert rationem: quod ſi in alijs libris ſuarum aſſertionum rationes præterire voluit, multo magis

gis id agere in libris epidemiorum fuit conueniens, in quibus Hippocrates eſt potius hiſtoricus, quam præceptor: in illis enim ea, quæ fieri circa multos ægrotos obſeruabat, vbi diuerſas regiones peragrarat, ſcribere rationibus omiſſis profitetur: Quod video etiam à peritiſſimo viro probatum eſſe in doctrina dierum criticorum, vbi ait, ac re uera, Hippocratem obſeruaſſe criſes magis frequẽter fieri in vigeſima die quam in vigeſima prima, ac ideo ſcriptis reliquiſſe, vigeſimam diẽ eſſe iudicatoriam, cur autem vigeſima,& non vigeſima prima ſit iudicatoria, vel magis nullam attuliſſe rationẽ cuius tamen rei, vt Galenus aliquam afferret, qui conceſſit etiam vigeſimam primam eſſe criticam, multum laborauit,& ex ſuo capite menſem medicinalem confecit quamuis vt communes etiam aſpectus lunares cum proprijs ad criſes efficiẽdas conuenire doceret, hunc excogitauit mẽſem eadem de annis Climactericis aſſerere poſſumus, Hippocratem videlicet illos, ac illorum effectus in multis obſeruaſſe, ac ſcriptis ſimpliciter traddidiſſe, ac illorum cauſas indagandi ſtudium, ac laborem poſteris reliquiſſe, præterquam quod de his, quæ ſenſui manifeſta ſunt, rationes quærere ſemper à ſapientibus fuit damnatum ex eo vero quod

Ari-

Ariſtoteles nuſquam de ijs annis ſcripſerit inferre non poſſumus, hos annos eſſe commentitios: cum multa alia quæ etiam via naturali ab eo cognoſci poterunt, ipſum latuerint, vt in libro primo de morbis veneficis cap. 6. ſcripſi; quod ſi eo quod nullam ipſe excogitare horum annorum rationem potuerit, illos ſilentio inuoluere, voluit multa etiam alia omittere debuit, quorum eff:ctuũ cauſas ad huc ignoramus, ſicut effectus torpedinis marinæ, magnetis, electri, echeneidis, ac aliorum ſimilium: & quamuis huc vſque auctores ferè omnes circa nomina, ac effectus annorum Climactericorum laborauerint, cauſas autem illorum, vel omnino tacuerint, vel allatas plerique non probauerint, non eſt tamen ideo aſſerendum, illos eſſe fictitios, cum etiam in indaganda vera dierum criticorum cauſa, multi grauiſſimi, ac peritiſſimi omniũ ætatum viri multum opere, ac ſtudij fruſtrà pene impenderint, ſi quidem nulla adhuc allata eſt, quæ omnibus ſatisfaciat, & multis non ſit inuoluta difficultatibus, & nihilominus vix vnam reperire ex probatis auctoribus queas, qui eos negare auſus ſit: & quamuis Galenus, vt doctiſsime, ac fuſe admodum docet Federicus Bonauentura veras, naturaleſq; cauſas Hippocraticæ, ac Peripateticæ di-

diſciplinæ ſummæ conſentientes lib. 3. de dieb. decretorijs explicauerit, cum tamen hac in re illius doctrina ſit ſatis obſcura, ac Aſtronomorum placitis firmata, plerique in arte medica primarij Pici Mirandolani veſtigia ſequuti, illius mentem haud percipientes, non tantum argumentis plurimis, verumetiam maledictis vexare auſi fuerunt. Ad ſecundum obiectum, & quo ad primam propoſitionem, principium morbi fieri poterit in anno non Climacterico; hunc ego concedo: cum autem infert, ergo eo loci annus legitimus non eſt Climactericus, hanc nego conſequentiam: ad probationem, quandoquidem principiũ morbi fieri poteſt in anno non Climacterico, hoc eſt verum, cum vero ſubdit, tum is annus erit legitimus ex Hippocrate, quia, vt aſſerit ipſe, principium morbi fieri non poteſt, niſi in anno legitimo: reſpondeo, quod ratione cauſarum internarum, ac etiam naturalium, hoc eſt, mutationis temperamenti, alterationis, & agitationis humorum morbi non fiunt, niſi in annis ſeptenarijs, ac Climactericis, ac de his Hippocrates interpretandus eſt, quod ſi etiam morbi fiant in alijs annis, id euenit ratione cauſarum externarum, & non internarum, hoc eſt, quarum nulla ex illis morbis interuenit; atque ita recte illi anni non legi-

Digitized by Google

ctimi ab Hippocrate vocantur: Ad repetionē vbi ait: aliquis annus non Climactericus eſt legitimus; hoc eſt falſum: ad probationem annus, in quo fit principium morbi eſt legitimus, hoc eſt verum, ſi intelligas de ſeptenario, de quibus Hippocrates, & non de alijs annis, in quibus & ſi morbi fiant, non ſunt legitimi ex relata cauſa. Quod ſi poſtea dico: quod neque principium morbi fieri poteſt, abſolute non aſſero, quod fiat, ſed quod poteſt fieri, & idcirco recte reſpondit verbo ſolet, quia non ſemper fit.

Poſt has dubitationes aliæ difficiliores ad me miſſæ fuerunt, quarum vna eſt: Hippocratem lib. 2. Epid. & li. de Septimeſtri partu anni legitimi nomine Climactericum minime intellexiſſe; ſed in legitimo die morbos vel bene, vel male terminari, quando terminantur cum ratione in die critico, & bene, dicuntur terminare in die legitimo: quoniam dies critici laudabiles ſunt. Pro hac tollenda difficultate in memoriam reuocare oportet, annos Climactericos hominis vitam iudicare eadem ratione, qua dies critici morbos iudicare ſolent: natura enim humana, vt iam diximus, eſt velut quædam inualetudo ortus, & interitus cauſas ab initio ſecum natas habens, & naturali quodam morbo laborat: & quem-

admodum ſeptenarij dies acutos morbos iudicare ſolent, ita anni decretorij Climacterici vocati vitam hominis iudicandi facultatem habent, idcircò volens Hippocr. naturam horum annorum explicare, eos cum diebus criticis coniunxit, & per legitimi nomen Climactericum intellexit: cum per legitimi explicationem, non ſolum dies, verum etiam & menſes, & annos ſcripſerit: Nam ſi Hippocr. de ſolis criticis diebus hanc ſententiam protuliſſet, ſat erat ſcribere: interceptio morbi fieri non poteſt niſi in die legitima, neq; principium morbi fieri poterit niſi in die illegitima, ita vt ſuperflua eſſent illa verba (menſe & anno legitimo) quod tamen nemo aſſerit, nec etiam ipſi contradictores negant: in omnibus enim contextibus cum græcis, tum latinis ea verba leguntur: De annis, ac menſibus Climactericis Hippocratem potiſſimum loqui manifeſtum eſt ex ſubſcripto contextu, vbi ait: Quicunque obeunt, neceſſe eſt in die legitimo, & legitimo menſe, & legitimo anno: Si Hippocrat. de interitu tantum in diebus criticis ſcribere voluiſſet, ſat erat illi, qui nunquam aliquid ſuperflui ſcripſit, dicere qui moriuntur neceſſe eſt in die legitimo mori: Quod magis manifeſte apparet ex altera ipſius Hippocratis auctoritate libri de ſeptimeſtri partu,

vbi ait; ſanitates, & morbos habere ſuos dies, menſes, & annos in quibus fiant: ſi igitur lib. 2. Epid. de decretorijs diebus tantum eſſet ſententia, verba, (menſes, & anni) eſſent ſuperflua: De annis Climactericis loqui Hippocratem oſtendit etiam tertia illius ſententia eodem lib. 2. Epid. Quorum oculi non ſunt robuſti &c., quam ſum interpretatus. Altera dubitatio eſt. Si Hippocrates tales annos Climactericos cognouiſſet proprio nomine alicubi nominaſſet, nec æquiuoco vocabulo vſus eſſet, qui tam multa pleriſque in locis de morborum diebus fœlicibus, & infauſtis ſcripſit, cui ita ſatisfacio: Hippocratem dies, menſes, & annos cognouiſſe quidem; ſed illos, & complura alia ſub verborum obſcuritate inuoluiſſe, ſicut ille, & antiqui alij facere conſueuerunt, teſte etiam Galeno lib. 9. Meth. ca. 8. vbi ait: quoniam Hippocr. plura obſcura pro antiqua dicendi breuitate eſt interpretatus, & li. de vſu part. ca. 8. Hippocrates nonnulla obſcura ſcripſit, ſed nihil perperam. Tertio aſſerunt veritatis contradictores alteram Hippocratis ſententiam lib. de ſeptimeſtri partu veram eſſe de partu, conceptu, & operationibus naturalibus, nō autem de morbis, abortibus, & ſanitatibus: Magna quidem eſt vir voluntatis contradictoria, cum res etiam mani-

niſeſtas negare audeat? Si Hippocrates morbos, ſanitates & abortus cum partubus, & conceptibus enumerat, & ſine aliqua diſtinctione ait, illos habere ſuos dies, menſes, & annos, in quibus eueniant: qua ratione hæc ſententia de illis, & non de his eſt intelligenda: Hippocrates enim operationes naturales, & præternaturales quò ad intentum naturæ, quamuis quo ad cauſas omnes ſint naturales, ſimul enumerat, & argumentum ab operibus naturæ ad præternaturalia certa ratione eſſe bonum demonſtrat, magisque explicat, cum poſtea ſcribit: In hiſce temporibus adeſſe ad vnumquemque, & vtilia multa, & hoſtilia multa hoc eſt in conceptibus, & partubus multa vtilia, in morbis, & abortibus multa hoſtilia; idcirco ſubdit: ex vtilibus ſanitas, & augumẽtum contingit, ex contrarijs morbi, & mors.

Quid, qui, & quot ſint anni Climacterici, vbi & de annis indicatiuis. Cap. VI.

CLIMACTERICI anni dicuntur illi; in quibus quædam in hominis vita mutationes fieri ſolet, aliquando ad meliorem ſtatum, & ad ſanitatem, interdum ad deteriorem, & ad mor-

morbum, vel ad mortem pro ratione cuiuſq; ſtatus, ac temperamenti: Nam cum vita humana, alterationi, corruptioni, & interitui ex neceſſitate naturæ ſubdita ſit, cuius ratione eſt in continuo motu, nec in eodem ſtatu diu permanere poteſt, vt ex veterum ſententia, & reipſa manifeſtum eſt, quibuſdam annorum ſpatijs, ſeptenarijs videlicet, qui ſunt illius veluti articuli quidam, eam mutationē accipit, quam infrà explicabo. Hos annos priſci Climactericos appellarunt, & eſſe omnes ſeptenarios vnà cum Cenſorino in libro de die natali omnes fere arbitrantur, ità vt à primo vitæ humanę ſeptenario ad vltimum progredientes, qui nonageſimo primo anno terminatur, ex illius ſententia treſdecim illos eſſe reperiantur: Henricus Ranzouius propter Patriarchas, & Imperiorum periodos hos annos producit vſque ad mileſimum octauum annum: raro enim, inquit ille, homines huiuſce temporis, & ſi viuaces ſeptuageſimum annum Climactericum his in locis ſuperant, pauci octogeſimum, aut nonageſimum primum aſſequuntur; Pauciſſimi, aut fere nulli ad centeſimum & quintum ſpiritum ducunt. Præter ſeptenarios, plerique nouenarios etiam, ac præſertim octogeſimum primum inter Climactericos aſcribunt, quos hebdoma-

dicos, atque enneaticos à græcis fuiſſe vocatos teſtatur Iulius Firmicus Maternus: His annis nonnulli indicatiuos etiam annos addiderunt, qui ſunt inter Climactericos medij, illoſq; eandem naturam in vita habere, quam indicatiui dies in morbis habent, voluerunt, vt annus quartus, decimus octauus, vigeſimus quintus, & octogeſimus primus: nam quemadmodum indicatiui dies exhibent in morbis inditia ſalutis, vel mortis in die iudicatorio, ita, & anni indicatiui, quales futuri ſint anni Climacterici, ac iudicatorij oſtendunt: & ſicut dies indicatorij aliquando decretorij fiunt, ità, & anni indicatiui nonnunquàm decretorij fiunt, & Climacterici: cum etiam in ipſis ægritudines, ac animi, corporiſque perturbationes aliquando excitari valeant: hos tamen indicatiuos dies aliter numerant medici: volunt enim quartum, vndecimum, decimum ſeptimum, ac vigeſimũ quartum, non autem decimum octauum, nec vigeſimum quintum eſſe dies indicatiuos. In hac Climactericorum annorum materia, ſicut & in pluribus alijs Ioãnes Bodinus in methodo hiſtorica, & lib. 4. de Republ. allucinatur, aſſerens annos ſeptenarios maribus, ſenarios verò fœminis, eſſe Climactericos: nam id obſeruationibus, & antiquorum au-

ctoritatibus repugnat: ſeptenarij etenim tam maribus, quam fœminis ſunt Climacterici, vt recte explicauit Federicus Bonauentura lib. 6. de octimeſtri partu cap. 12.

Cauſa periculi horum annorum, ex Aſtrologis, Cap. VII.

DE cauſis horum menſium, ac annorum, cur videlicet ſint periculoſi, de quibus pauci pauca ſcripſerũt, acturus, illas à duobus fontibus haurire conabor, ab Aſtronomico primo, deinde à Philoſophico, ac medico ſimul. Marſilius Ficinus lib. 2. de vita producenda cap. 20. huius rei aſtrologicam cauſam affert ita: Cum Aſtrologi ſingulas diei horas ſeptem planetis ordini diſtribuant, & ſimiliter ſeptem hebdomadæ dies, atque in ipſo fœtu per menſes digeſſerunt officia Planetarum, cur non etiam per annos eadem non diſponamus: vt quemadmodum infantem in aluo latentem rexit primo menſe Saturnus, vltimo Luna: ſic ſtatim natum ordine iam conuerſo, primo ipſius anno ducat Luna, ſecundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Iupiter, ſeptimo vero Saturnus: atque de-

deinceps ordo per vitam ſimilis repetatur: Itaq; in ſeptimo quolibet vitæ anno fit in corpore mutatio maxima, ideoque periculoſiſſima, quandoquidem & Saturnus communiter eſt nobis peregrinus. Henricus Ranzouius arbitratur Saturnum quidem eſſe præcipuã huius rei cauſam, ſed non ſolum, vt ipſius ore loquar, quod plerunque fit peregrinus, & à vita hominum alienus, verumetiam quod ſingulis fere ſeptem annis ad quadratum loci, aut ſi minus ad contrarium naturæ ſignum, vnde egreſſus eſt, peruenit: Nam quemadmodum Luna, quæ nobis proxima eſt, & motu celerrima, fere ſeptimo quoque die in contrarium ſigni eius naturæ vnde egreſſa eſt, progreditur, & inde criticos dies producit, qui auctore Galeno, ipſaque atteſtatur experientia in morbis, vel ad ſalutem, vel ad mortem, maximam adducunt mutationem; ita Saturnus, qui motu eſt tardiſſimus, & tot annos fere, quot dies Luna in vno ſigno commoratur, hos periculoſos, & Climactericos annos operatur, & has mutationes humorum cauſatur: eo quod Saturnus in generalibus temporum decretis non minus momenti habet, quam Luna in diebus ſecundum Ptolomeum: Adiuuant illum, & cæteri Planetæ, propterea quod in ſingulis ſeptem annis vna cum horoſcopi

profectione ad oppoſitum quadratum vt ſigni ad 6. 7. 8. 9. & 12. ad domum alicuius natiuitatis perueniunt, quæ ſunt loca aduerſa, infortunata, ac formidoloſa vitæ humanæ: & quod ſemper ſeptimo quouis anno horoſcopus, & planetæ omnes perueniant profeſſione ad ſeptimam domum, aut ſignum oppoſitum, in quo vltimo præterlapſo ſeptenario anno fuerunt; qui locus eſt oppoſitus naturæ contrarius, & ſemper aduerſus: ita, vt ſic planetæ: & horoſcopus vitæ cum Saturno mutent ſtatum ex varijs, ac diuerſis poſitionibus, & frangere, debilitentq; & opprimant naturã, & vitam his temporibus ex commotione, & alteratione humorum. Aliqui alij, vti Ioſephus Roſſius fuſè admodum cauſam aſtrologicam, alijs iactis Aſtrologicis fundamentis explicarunt, vniuerſalem ſcilicet, & particularem influentiam cœleſtium corporum eſſe cauſas mali hominis librum annorum, aſſerentes vniuerſalem influxum eſſe, qui ex diuerſis aſpectibus, ac multifarijs qualitatibus commixtis ſtellarum ortum habet, & ex diuerſo præſcripto generaliter in omnes homines agit: particularem autem, qui in particulari cuiuſque natiuitatis efficitur ab horoſcopo, & à Sole, vel à Luna, qui in locis affecticis dominium habent propenſionum, ac tempera-
men-

menti particularis cuiuſque, ex quibus vna cum aliarum Planetarum miſtionibus, ac cõfigurationibus affectus, ac corporis accidentia dimanant: vniuerſalem vero, ac particularem influentiam cæleſtium hominum vniuerſaliter agere in quemlibet hominem, manifeſtum eſſe cadunt ex naturalibus, ac communibus affectibus, quæ vniuerſaliter in qualibet ætate vigent, & cum natura illius Planetæ, qui viciſſim dominatur, ſimilitudinem habent. Cum igitur Saturnus cuilibet ſeptenario præſit, & ille ex ſui natura ſit frigidus, & ſiccus, terreſtris, & melancholicus (vt illis vſitatis verbis vtar) humanæque naturæ maxime exitioſus, ac infenſus, ſeu aduerſus, &, vt ait Marſilius ficinus nobis peregrinus, & Ranzouius, mortalium interfector: quoniam, vt docet Lalamantius aſtrologus, ac medicus influxus, ac vis Saturni in craſſa præſertim materia importune ſuſcepta, eſt quaſi venenum, euenit, vt quilibet ſeptenarius multis ærumnis ſit expoſitus. Saturnum vero, & non Lunam imperare cuilibet ſeptenario aduerſus Conciliatorem, & in primo conceptus, ac partus menſe potiſſimum ſuum imperium oſtendere, iſti probare conantur ex ortu quorundam terreſtrium auium: nam pulli gallinacei, qui in vigeſimo ſecundo die naſcuntur

ſunt

ſunt vitales, qui vero vigeſimo primo moriuntur: nã vigeſima ſecunda eſt prima dies quartæ hebdomadæ, in qua Luna dominatur, vigeſima autem prima eſt ſeptima, ac vltima dies tertiæ hebdomadæ, cui Saturnus præeſt: Præterea Pauones, Anſeres, ac Meleagrides vulgo indicæ gallinæ vocatæ, ſi in die vigeſima octaua oriantur, cuique Saturnus imperium habet, omnes quamprimum vita deſtituuntur: Si vero vigeſimo nono die, in qua Luna imperat, vita fruuntur. Saturnum vero dominari etiam ſeptenario menſium, & annorũ probant ex fœtus in vtero figuratione, perfectione, ac illius partu: arbitrantur ex ſententia Dioclis, & Cariſtij temporis perfectæ formationis maſculi eſſe quadraginta nonẽ dierum, qui dies hebdomadas ſeptem conficiũt, quarum quodlibet errans Sydus viciſſim imperium tenet, Luna hebdomadæ primæ, Saturnus ſeptimæ, & alia aliarum ordine ſeruato. Cum igitur fœtus in ſua formatione cuiuſque errantis Syderis vim, ac naturam ſit expertus, rurſus quælibet erratica Stella ſpatio vnius menſis peragrationis Lunæ, hoc eſt viginti ſeptem dierum, & horam octo in fœtum agit, quarum actio prima. Eſt Lunæ quicquid ſcribat Conciliator, à quadrageſimo ſcilicet nono vſque ad ſeptuageſimum ſeptimum, &

ho-

horam octauam: ſecũda eſt Mercurij à ſeptuageſimo ſeptimo, & hora octaua vſque ad diem centeſimum tertium, & horas ſexdecim. Tertia eſt Veneris ab hoc termino vſque ad centeſimum trigeſimum primum. Quarta eſt Solis vſque ad dies centum quinquaginta octo, & horas octo. Quinta eſt Martis vſq; ad diem centeſimum octogeſimum quintum, & horis ſexdecim. Sexta Iouis, quæ pertingit ad dies ducentos, & tredecim. Septima eſt Saturni, vſque ad dies ducentos quadraginta, & horas octo, quibus diebus, & horis octauus conficitur menſis, in quo ſi partus contingat, natus moritur ob Saturni vim maleficam: octaua, & vltima operatio eſt Lunæ, cuius humiditas periendi facilitatem præbet, & aptum facit fœtum ad exitum, qui exitus ratione plenilunij, & interlunij modo in ducentiſsimo quinquageſimo octauo die, modo ducentiſsimo ſeptuageſimo tertio, vel ducentiſsimo octogeſimo tertio euenit. Cum igitur Saturnus cuilibet ſeptenario dierum, ac menſium imperet, ita & cuilibet annorum ſeptenario præeſt. Vt autem hi Aſtronomi inueniant cauſam, ob quã aliqui ſeptenarij ſint alijs magis periculoſi, totum humanæ vitæ curriculum in quattuordecim partes per ſeptenarium diuidũt auctoritate Ptolomæi de diuiſione temporum, quibus

bus vniuerſales quoſdam rectores aſcribunt: Infantiam igitur volunt primum ſeptenarium obtinere, pueritiam ſecundum, adoleſcentiā tertium, iuuentutem quartum, quintum, & ſextum, virilitatem, ſeptimum, & octauum, ſenectutem, nonum, & decimum decrepitatē, vndecimum, duodecimum, decimumtertium, & decimumquartum, qui terminatur nonageſimo octauo anno. Infantiæ Lunæ præficiunt, quam ſæpe ob ſuam humidam qualitatem varias ægritudines facere volunt, prout cum vniuerſali influentia cōueniunt peculiares qualitates errantis Stellæ, quæ viciſsim dominatur, & ideo multos magis in hac ætate, quam in alia, & primo potiſsimum anno interire, ac ſæpius in quinto, ac ſeptimo ratione dominij Martis, ac Saturni, qui vitæ aduerſi ſunt. Pueritiæ rectorem faciunt Mercurium, vſque ad decimum quartum annum, & ratione Martis in duodecimo, & ratione Saturni in decimo quarto, ſolent pueri de vita periclitari: Adoleſcentiæ Venus clauum tenet, quæ ſtella quamuis familiarem, & ſuarum naturam adepta ſit; pituitoſis tamen vigeſimus primus annus periculoſus eſt ob nimiam humiditatem, quæ vſque ad prædictum tempus abundat: Iuuentutis prima pars regitur à Sole vſq; ad vigeſimum octauū annum, qui ſeptenarius numerus

merus,& ſi omnibus ob aliquam ſanguinis alterationem, & à ſtatu naturali mutationem, ſit periculoſus, in maiori tamen diſcrimine verſantur illi, qui ad hecticam ſunt diſpoſiti: Iuuentuti parti ſecundæ, cuius terminus eſt annus trigeſimus quintus Mars imperat: in quibus annis, ſed potiſsimum in anno trigeſimo tertio, ac trigeſimo quinto bilioſi temperamenti homines morbis acutis ſubijciuntur: Tertiæ, & vltimæ iuuentutis parti Iupiter imperat vſque ad annum quadrageſimum ſecundum, in qua parte pauci moriuntur, quamuis annus quadrageſimus ſanguineis aliquod periculum acuti morbi afferat ratione Martis, & quadrageſimus primus propter vniuerſalē, ac particularem Iouis influentiam, cuius ratione ſanguis redundat, & quadrageſimus ſecundus propter eximiam caliditatem, quę anno illo præualet. Primæ conſtantis, ac validæ virilitatis parti Saturnus dominatur vſque ad quadrageſimum nonum annum, quę pars illis, qui habitum melancholicum habent, pericula afferre conſueuit, ſed anno quadrageſimo nono potiſsimum propter vniuerſale, ac particulare Saturni dominium, qui annus eſt primus Climactericus: Secundæ virilitatis partis clauum tenet Luna vſque ad annum quinquageſimum ſextum; in qua propter humorū agi-

agitationem dolores articulares, arenulæ, deſtillationes in illis oriri ſolēt, qui ad illas propenſionem aliquam habent: & annus quinquageſimus quartus ob particulare mortis, & quinquageſimus ſextus ob Saturni dominium, ſunt incommodi: & quoniam ab anno quinquageſimo ſexto vſque ad ſexageſimum tertium, in quem primæ ſenectutis pars terminatur mixtæ Mercurij facultates claustrum humani corporis tenent, ideo in imaginatione phantaſia à græcis dicta moleſtæ opiniones, & altæ cogitationes imprimuntur, quarum ratione in ſenibus animi perturbatione, & tædio affectis melancholicus ſuccus generatur, ita, ut, cum ad annum ſexageſimum tertium Climactericum, cui Saturnus dominatur peruenerint propter longam conſuetudinem melā cholia in ſingulis ſeptenarijs genita, & animi mala accidentia augentur, quæ cum calorem natiuum imminuant, & coctiones vitient, fit, vt morbi ſequantur, & multi eo anno moriantur, qui annus omnium Climactericorum eſt maximè periculoſus rationibus ſupra explicatis, & infra explicandis: Poſtremæ ſenectutis parti, cuius terminus eſt annus ſeptuageſimus Venus imperat: cuius natura cum ſit valde amica, & familiaris ſit, vt pauci in ea intereant, ſexageſimus tamen ſextus in pituitoſis tantū

ſu-

ſuſpitione aliqua non caret: ſexageſimus octauus biliosis, ſexageſimus nonus ſanguineis, & ſeptuageſimus omnibus eſt periculoſus. Decrepitatis prima pars vſque ad annum ſeptuageſimum ſeptimum à Sole, & ſecunda vſq; ad annum octogeſimum quartum à Marte regitur. prior eſt magis tuta ob Solis calorem, qui concoctionem, digeſtionem, & appetentiam adiuuat: nihilominus annus ſeptuageſimus quintus, & ſeptuageſimus ſeptimus maius minantur diſcrimen ratione Martis, & Saturni, & ità alij ſubſequentes vſque ad octogeſimum quartum propter Martis influxum: ſed annus octogeſimus primus omniũ prædictorum lethificus eſt: Anni vero ſexageſimi tertij ſermonem rurſus aſſumentes ex eorundem Aſtronomorum ſententia, aſſerimus, & anno haud omnes homines eidem diſcrimini ægritudinis, vel mortis ſubijci, ſed aliquos magis, alios minus penes varias aliorum planetarum miſtiones, & configurationes, & ſecundum naturam ſigni, ad quem Saturnus peruenit, & temperamentorum diuerſitates: Si igitur contingat, vt in Climacterico hoc anno Saturnus in terrea triplicitate reperiatur, cum melancholia tunc multum augentur, illis, qui abſolutum temperamentum melancholicum nacti ſunt, necem ferè cer

ram, & illis, qui cum melancholia pituitam, vel bilem mixtam habent, ægritudinem lethalem, & mortem ſæpius afferre ſolet: In melancholicis ex ſanguinis exuſtione annus ſexageſimus tertius eſt minoris periculi, cum à ſanguine calido, & humido aliquod temperamentum recipiant: & ideo ij diutius viuere, & ad extremam ſenectutem peruenire aiunt à ſeipſis obſeruatum eſſe. Quod ſi contingat Saturnum aeream triplicitatem attingere, aliquale periculum ſanguinis melancholia participantibus minatur: quoniam in ſanguine aliqua corruptio oriri ſolet: Quod ſi aliqui illum prætereant, nunquam ad ſeptuageſimum perueniunt, ſicut ſanguinei cum dominio bilis, vel pituitæ faciunt. Qui tamen ſincerum ſanguineum temperamentum ſortiti ſunt, tutius,& abſque ſuſpitione illum prætereunt. At vbi Saturnus in ignea triplicitate reperiatur bilem alterando,& augendo ſincere bilioſi, ac bilioſi melancholia participantes propter eximiam ſiccitatẽ ſæpius in morbum, & aliquando in mortem incidunt: Illi verò qui bilioſum temperamentum à ſanguine,vel à pituita moderatum habent ſunt aliorum magis tuti ab efficaci noxa anni Climacterici, ita vt annum octogeſimum, & quartũ ſæpius adipiſcantur: Præterea vbi ad aqueam tri-

triplicitatem Saturnus peruenerit ſincere pituitoſis, & pituitoſis cum melancholiæ mixtione magis annus iſte noxius, & infenſus eſt, quam illis, in quibus pituitoſa natura à ſanguine, vel à bile temperatur. Tandem ſicut illi, qui temperamenta intemperata habent, varios; ac periculoſos morbos hoc anno ſubire ſolent penes varietates commixtionum, ac Saturni accidentium, ità illi, qui perfectum, ac optimum temperamentum habent, non ſolum ab omni diſcrimine anno illo ſunt tuti, verumetiam ad octogeſimum quartum, & nonageſimum primum perueniunt. In hac doctrina duo animaduertunt hi Aſtronomi, ac optime: primo, quod anni Climacterici magis fiũt periculoſi illis, qui in Criſibus nõ naturalibus, ac potiſſimum in cibo, ac potu, ac venere delinqunt, & qui à moleſtis, ac noxijs animi perturbationibus, anguntur, quarum rerum ratione etiam recte conſtituti horum annorum diſcrimini ſubijciuntur: Secundo loco volunt, conſiderandas eſſe dignitates eſſentiales Saturni eo in anno, quia ſicut dum in propria domo reperitur exaltatione, ac triplicitate, hoc eſt in Capricorno, Aquario, Tauro, Virgine, ac Libra, vires illius valde augentur, ita etiam cum in proprijs terminis reperitur, & in capite, vel cauda Draconis

faciat retrogradum, vel combuſtum in ſigno fœmineo in via combuſta coniuncta per corpus, vel aſpectum cum Marte, vel in illius dignitatibus ſenibus afferre ſolet maius mortis periculum, & è conuerſo, vbi eſt coniunctus Veneri, vel Ioui, vel alteri Stellæ fixæ eiuſdem naturæ, vel non reperiatur in dignitatibus prædictarum, quæ fortunatæ appellantur, vel planetæ domini aſcendentis in natiuitate, cũ ſubijciatur alienæ benignæ influentiæ, ac diſpoſitioni, prauæ eius qualitates ità impediũtur, vt omnino operari non valeant: & ideò ſæpe fieri, vt aliqui intemperatiſſimam complexionem habentes, cauſarij, ac valetudinarij præter naturalem opinionem Climactericum annum immunes euadant, & potiſſimum illi, in quorum natiuitate Saturnus aſcendentis fuerit dominus. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, cauſam periculi Climactericorum annorum, ac præſertim ſexageſimi tertij ex horum Aſtronomorum ſententia eſſe influentias cæleſtes cum vniuerſales, tum particulares, & præſertim Saturni, qui communiter eſt nobis peregrinus propter malignas illius actiones, & melancholici ſucci prouentum. Albertus Manettus Mutinenſis Aſtronomiæ, Arithmeticæ, ac Proſpectiuæ profeſſor eximius in quadã ſua lucubratione de annis Clima-

macterıcis, in primis annos Climactericos à cauſis ſuperioribus, minimè ab inferioribus vim ſuam ſortiri, ſtatuit: Deinde aliorum Aſtronomorum placita in medium afferens, quos Saturnum eſſe cauſam mali hominis horum annorum arbitrantes, pluribus rationibus reijcit, & tandem horum annorum effectus à Luna emanare multis argumentis probat, vt quiſque legere poterit, ſi illud opuſculum, vt ſpero, cum alijs ſuis lucubrationibus, in lucem prodierit.

Oppoſitiones aduerſus hanc Aſtrologicam doctrinam ac reſponſiones. Cap. VIII.

ILLI tamen Philoſophi, qui Pici Mirandulani, ac Sauonorolæ doctrinam hac in re ſequuti ſunt, hãc aſtrologicam doctrinã impugnant hac præſertim ratione: quod vna, & eadem aſtrorum conſtitutio, ac orbium circumuolutio variam, ac diuerſam naturam habere non poſſit, ac varios gignere effectus, vt vni ſit familiaris, & amica, & alteri hoſtilis, & noxia, vt illi, qui ſexageſimum primum annum agit, opituletur, & alteri, qui ſexaginta tres habet, officiat: Quod & pro-

Digitized by Google

bant ex illis præſertim gemellis, qui eadem hora naſcuntur, diuerſas tamen naturas, mores, & exitus habent: vt manifeſtum eſt in Iacob, & Eſau fratribus, qui eadem hora in lucem prodierunt; & tamen in omnibus fuerunt diſſimiles, & vt ait Plinius lib. 7. cap. 49. ijſdem horis naſcuntur in toto mundo quotidie domini, & ſerui, reges, & inopes: & Clemens Romanus lib. 9. Recognitionum, S. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei, lib. 7. Confeſſ. ca. 6. S. Gregorius homilia 10. in die Epiphaniæ, ac M. Cicero lib. 2. diuiſionum, animaduertũt multos, qui naſcuntur ſub eodem climate, aſpectu, eodem puncto, hora, ac minuto, diuerſiſſimas tamen habere propenſiones. Idcircò ſcribit Cicer. li. 2. de diuinat. Proclum, & Euriſtenem Lacedomiorum Reges geminos fuiſſe, eodemq; cœli ſtatu in lucem editos, & diſpari vita, fortuna, & moribus: Præterea etſi Philippus Hiſpaniæ tertius Rex, ac Clemens octauus in eadem Ciuitate, ſub eodem Climate, in eadem hora, ac minuto, ſub eodem planetarum aſpectu, cum eiſdem aſpectibus fœlicibus, ac alijs Zodiaci ſignis, ac innumerabiles alij orti ſint, duo tamen tantum ad ampliſſimas dignitates euecti ſunt; ille ad Occidentis imperium, & iſte ad Pontificatum: ex cæteris verò, multi artes viliſſimas, ac

etiam

etiam ignominioſiſſimas exercuerunt, nonnulli æternam infamiæ labem ſubierunt, & aliqui morte turpiſſima obierunt: Præterea, & ſi negare non audent, ſolem, lunam cum cæteris planetis, & aſtris in hæc inferiora agere, nec non aliquorum effectuum cauſas eſſe, inficias tamen eunt eſſe vere peculiares, ſed vniuerſales multarum rerum: Nam cum cœlum, & aſtra ſint cauſæ vniuerſales, ad effectus particulares conuenire ſola non poſſunt: Inſuper aſtra non agunt propter ſeptenarium numerum, vel quantitatem, cum apertum ſit, nec numerum, nec quantitatem vllam eſſe actionum principium, niſi per accidens: quamuis Pythogirici hanc numericã rationem plurimi fecerint: Ad hæc, ſicut aſtra ad criſes perficiendas non conueniunt, ita nec ad generationem primarum qualitatum, nec ad humorum extractionem, vel expulſionem, nec ad excitandam voluptatem, vel moleſtiã: nam cum vlla actio non fiat niſi per contactũ: & cœlum, ac aſtra inferiora hæc non tangant, niſi ratione influxus luminis, ex quo calor producitur, ſi hoc medio arbitrantur Aſtrologi aſtra trahere, ac expellere humores, ſemper traherent, ac expellerent, nec magis in hoc anno, menſe, ac die, quam in alijs: Nam, cum cœlum ſit corpus incorruptibile, nullam

habet cum humoribus noſtris inimicitiam, nec illis eget, vt conſeruet, vel conſeruetur: cum res, quæ viciſſim ſeipſas trahunt, vel expellunt, omnes in natura ſuum habeant finē, quo ſimul conſeruantur, hæc contraria expellendo, & illa trahendo ſimilia: & quæ inter ſe ſymbolum, ac ſympathiam habent. Quibus tamen argumentis aliqui pro tuenda Aſtrologorum ſententia, ſatisfacere nituntur: & quò ad primum: quod vna, & eadem aſtrorum conſtitutio &c. varios effectus gignere non poſſit, vt vni ſit amica, & alteri hoſtilis, non ſufficere, vt aſpectus, & influentia, ſiue coniunctiones tantum ſiat in tot gradus, ſeu pūcta horum, vel illorum planetarum, ſed eſſe opus, vt corpora idem temperamentum, & in eodem qualitatum gradu exiſtant: cum tamen in duobus exacte, ac in puncto minimè inueniri poſſit, vt experientia de ſimilibus patet, vt de facie, & voce, vt omni ex parte duo prorſus ſint ſimiles facie potiſſimum cum, ita de cæteris non ſit manifeſtum: quare ſequitur, vt vna, & eadem aſtrorum conſtitutio varios edere effectus valeat: cui tamen reſpōſioni Pici aſſeclæ obijcere poſſunt: quod, etiam conceſſa complexionum diuerſitate, quamuis vna, & eadem conſtellatione diuerſi effectus oriri poſſint, diuerſitatem tamen

hanc

hanc non poſſe effectu dignam eſſe:cum experiamur quotidie excedentia, ſeu excellentia extrinſeca minima, vt plurimum minimam efficere alterationem; ideo fieri non poterit, vt ex eadem aſtrorum conſtitutione effectus ferè ijdem non emergant: nam, vt Galenus lib. 3. de ſimpl. mod. fac. cap. 23. de medicamẽtis deleterijs, ac venenoſis verba faciens ait, ſi prorſus exile ſit deleterium, nihil repugnare, quo minus illud quoque nihil proficiet: vt puta ſi cantharidis ſit cẽtiſima drachma particula noxam minimè inferre poſſit: opus enim eſt, vt quicquid, etiam ſi valentiſsimum, aliquantã tamen magnitudinem habeat, quando nimirum, & ignis ipſe ſi prorſus minimus ſit, præterquam non vret, ne calefaciet quidem: Præterea diſciplinę aſtrologicæ periti, qui horoſcopo, hoc eſt, horæ natiuitatis multum tribuunt, ad id quod de gemellis obijcitur, ac præſertim de Iacob, & Eſau fratribus, aſſerunt ſemper adeſſe in horum natiuitate aliquale diſcrimen, cum ambo ſimul non naſcantur: cui tamen aſſertioni D. Gregorius citato loco reſpondet, certe cum Iacob de vtero egrediens prioris plantam teneret manu prior perfecte nequaquam egredi potuit, niſi & ſubſequens inchoaſſet: & tamen cum vno tempore, eodemq; momento vtrunque

mater

mater fudit, nec vna vtriuſque vitæ æqualitas fuit: & ſi dicant Mathematici vim conſtellationis in ictu puncti eſſe, e diuerſo D. Gregorius ait: quia magna eſt mora natiuitatis, ſi in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe eſt, vt tot ſint effectus conſtellationum, quot ſunt membra naſcentium: eandem ferè reſponſionem affert Picus lib. 9. aduer. Aſtrol. cum ait: ſi propterea Eſau, & Iacob non cenſentur nati ſub eadem conſtellatione, ſed vnus poſt alterum, ob eandem cauſam iudicandum eſt, nullum hominum ſub eadem conſtellatione totum naſci: non enim totus ſimul ex vtero procedit, ſed particulatim, ac membratim: quare ſingulis membris ſingula erunt fata, quod riduculum eſt. Secunda ratio erat: cum cœlum, & aſtra ſint cauſæ vniuerſales, effectus particulares edere non poſſe, cui ſatisfacit Balthaſar Capra doctiſsimus Mathematicus: cœlum ratione nonnullorum effectuum particularium eſſe cauſam particularem, quamuis ratione multorum aliorū cauſa vniuerſalis eſſe poſsit: quoniam etſi conueniat ad productionem plurium effectuum ita tamen ad vnum coarctari determinatum, vt, nulla alia particulari cauſa conueniente, quæ limitet, & coarctet indifferentiam talis effectus, talem peculiarem effectum producat:

&

& quamuis alia cauſa cõueniat ab eodem tamen cœlo ad eundem finem regitur,& præparatur: Pro tertia diluenda ratione circa actionem,& quantitatem numerorum idẽ Mathematicus fatetur & ipſe, aſtra non agere ratione numerorum, & quantitatis, niſi per accidens, ſed ratione influxus; nec numerum, nec quantitatem eſſe principia talium actionum, niſi prout ſtella maior magis influere poteſt, vel maior ſtellarum numerus earum fluxus coniungendo, maiorem vim habere poteſt. Ad quartam rationem acceptam à criſium ſimilitudine, reſpondet: cum antecedẽs ſit falſum, aſtra nempe nõ conuenire ad morborum criſes, ſeu aſtra non eſſe cauſas criſiũ, conſequens quoque eſſe falſum: falſitatem antecedentis probat ex doctrina Galeni in li. de diebus decretorijs, Ioannis Antonij Maggioni de Aſtrologica ratione, Husfurti,Ioannis Guidonis Villanenſis. Georgij Callamitij de ratione criticorum dierum, Cornelij Sdylandri, Auguſtini Niphi, Federici Griſogoni, Augerij Ferrerij, & Federici Bonauenturæ, quibus ego addo, Ioannem Planerium, ac Ioannem Cechium, ex quorum laboribus cauſam criticorum dierum à cęleſtibus influxibus omninò eſſe, manifeſtum ſit: Vt vis alterius partis argumenti corruat, reſpondet: ſup-

ſupponi, cœlum, & ſtellas non agere in hæc inferiora niſi motu, & lumine, quod Aſtrologi negant, eo quod cœlum præter motum, & lumen etiam ſuos influxus impartitur hiſce inferioribus: Quamuis autem Antonius Poſſeuinus Pici partes tueri velit, Aſtrologorum tamen iura optime defendiſſe videtur Lucius Bellantius in lib. de Aſtrologica veritate, & in defenſione Aſtrologiæ aduerſus Ioannem Picum, & Gabriel Pireuanus lib. de Aſtronomię veritate. Quid autem in hac ardua controuerſia ſit ſtatuendum, nolo meam interponere ſententiam, cum celeberrimus, ac doctiſsimus Ioannes Antonius Magginus pollicitus ſit fusè ſe velle de hac re ſcribere ſumpta occaſione corrigendi librum ſuum de legitimo Aſtrologiæ in medicina vſu.

Cauſa periculi annorum Climactericorum ex Philoſophis, ac Medicis. Cap. IX.

QVo ad rationes, quæ ex altero fonte philoſophico nempè, ac medico hauriri poſſunt, quamuis ardua res ſit, ac difficilis admodum de cauſis periculi annorum Climactericorum phyſicis agere, vt Seneca fatea-

Digitized by Google

teatur, ſe exponere nō poſſe per philoſophiã, qua re ſeptimus quiſque annus ætati ſignum imprimat, vnam tamen etiam ab aliquibus excogitatam tantum, ſed, vt opus erat, non explicatam, in medium afferam, ſi prius quid alij ſenſerint, explicauero. Peritiſsimus quidam vir cauſam horum annorum penitus diuinæ prouidentiæ aſcribit, quæ quolibet ſeptenario numero mirabiles mutationes in vita hominis voluit fieri: quę ratio quamuis vera ſit, ac pia, eſt tamen valde communis, ac vulgaris, quia non ſolum Climactericis annis, ſed omnibus alijs rebus naturalibus, ac præternaturalibus aptatur, quia rerũ omnium fines, ac termini à Deo conſtituti ſunt, & omnia à Dei prouidentia fiunt, ac gubernantur: Ideo peculiares rationes, & cauſas indagare debemus. Leuinus Lemnius lib. 2. de ocultis naturæ miraculis cap. 32. ait, cauſam horum annorum eſſe magnam humorum collectionem, ac redundantiam his annis congeſtam, quam repletionem cum natura perferre, ac euincere non poſſit eſſe neceſſarium, vt morbi erumpant: quam opinionem vti abſurdam refellit, ac recte Federicus Bonaueutura lib. 8. de octim. par. cap. 53. duplici ratione, primo quod non ſit maior ratio de Climactericis annis, quam de alijs, vt in illis, & non in

alijs

alijs talis repletio fiat: ſecundo, quod experiamur pleroſque in climactericis ægrotare ſine humorum abundantia: tertio ego addo, quod ratio Leuinij quamuis vera eſſet, nō eſt tamen communis, nec continet omnem horum annorum alterationem, ac mutationem, ſed morbificam tantum, cum tamen aliæ non morbificæ fiant, vt ſuperius diximus. Vt autē nos rectius explicare poſſimus quam arbitramur eſſe veram horum annorum cauſam, nōnulla prius iacere fundamenta oportet: Ac in primis illud ſtatuendum eſt, quod in Peripatetica ſchola eſt manifeſtum: naturam videlicet Dei miniſtram nec caſu, nec temere, ſed certo ordine ſuas edere functiones, cuius vires in agendo, & reſiſtendo certis terminis continentur, & menſurantur: ideo Philoſophus lib. 3. de animal. gener. cap. 10. ſcribit: quod ſecundum naturam eſt, ordinem ſemper habet, & lib. 8. phyſ. tex. 15. natura eſt cauſa ordinis omnibus, nihil enim inordinatum eſt eorum, quæ natura, & ſecundum naturam fiunt, lib. etiam de gener. & corrupt. text. 57. ait, ideo tempus, & vita vniuſcuiuſque numerum habent, & hoc determinantur: omniū enim eſt ordo, & omne tempus, & vita menſurantur periodo, ſed tamen non eadem omnia, ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori:

iori: his enim annus, his autem maior periodus eſt menſura: Quæ omnia fortaſſe accepit Ariſtoteles à Platone, qui in Timæo ſcribit, animalium compoſitionem ab ipſo generationis exordio certis temporũ curriculis terminari, idque & generis vniuerſum pati: & animal vnum viuendi ſpatium in ſeipſo continere: Idcircò Ariſtoteles etiam lib. de ortu, ſeu gener. animal. cap. 10. memoriæ prodidit, omnium tempora, & generationum, & geſtationum, & vitarum id ſibi naturaliter expoſcere, vt proprijs, & naturalibus periodis menſurentur; & Galenus lib. de maraſuo ait, ineuitabilia ſunt omnia naturę opera, vt potè habentia neceſſariam ſuæ generationis ordinem: quod Luculentius in lib. 2. de dieb. crit. c. 2. explicat, quanta, inquit, ſit naturæ prouidentia, quantus ordo, & ornatus in motionibus ſuis, animalium generationes, ortus, & incrementa indicant, ſi quidem cuiuſque animantis conceptui ſuum ſtatutum eſt tempus, naturæ ſcilicet ordinatos motus ſemper ſeruante: poſt partum etiam animantia ſingula increſcunt, perficiuntur, atque declinant, idque præfinitis temporibus: eſt autem natura in nobis quædam res ordinata, quæ quidem vbi ſuperauit materiam proportionibus, quibuſdam certis, ordinatiſq; periodis ſuas mo-

tiones

tiones perficit:Idem ſcripſit lib.3.de criſ.cum ait : determinati ſunt, atque ordinati naturę motus, ſi & valida ſit, & dominetur materiæ, propriaſq; operationes perficiat:Naturæ autem tempus definitum ad ſuas peragendas functiones eſſe ſeptenariũ præterquam quod Hippocrates in lib. de ſeptimeſtri partu docet, naturam ſeptenario numero ſubditam eſſe, ſi illius magis inſignes operationes animaduertamus, & numeri ſeptenarij in omni rerum natura magnam vim, atque abditam quandam poteſtatem cognouerimus, erit apertum,vt non immerito plenus, ac perfectus à Platone,& à Macrobio ſit nuncupatus,quod fœcunditate ſua gigni, compleriq; omnia fere in natura videantur, & à S. Hieronimo in Ezechiel cap.39.& in S.Matth.cap.15.non ſolum perfectus, ac plenus, ſed etiam ſacer, & in cap. 5. Amos myſterijs,ac ſacramentis repletus vocetur, eo quod in eo rerum corporalium, ac ſpiritualium ſanctitas contineatur, vt tradit Philo. in lib. de mundi opificio à Pithagora epta, quaſi ſepta, hoc eſt venerandus, atque honorandus, ab Heſiodo Iouis ſacer, & ab Orpheo Phœbo gratus, vocatus eſt : & Theophraſtus lib. 6. de plant.cauſ. cap. 4. hunc numerum principaliſſimum, ac naturæ familiariſſimũ appellat:& Ariſtoteles

lib.4.

lib.4.ca.20.& lib.6.cap.17.de hiſt.animal.ait; inſectorum generationem,piſciumq; geſtationem ſeptenarijs dierum deſcribi, ac diſtingui: vt iure M. Cicero in lib. de ſomno Scipionis ſcripſerit,hunc eundem numerum omnium fere eſſe nodum: Natura enim dignationem, ac vim ſeptenarij numeri oſtendit in morbis iudicandis, in fœtus figuratione, in illius perfectione, & partu, in diſtinguendis hominum ætatibus,in partu vitali iudicando, & in vita hominis ſine cibo producenda, & in multis alijs, de quibus infra: Quò ad morborum iuditia non eſt ignorandum id quod docet Galenus lib.2. de dieb.decr.& alibi;morborum alios diebus, alios menſibus, & alios annis iudicari: qui diebus iudicantur ſunt acuti, quorum aliqui in ſeptima, nonnulli in decima quarta, & alij in vigeſima verſus vigeſimam primam iudicantur: morbos diuturnos puerorum diebus quadraginta, quoſdam ſeptem menſibus, & aliquot ſeptem annis finiri, ſcribit Hippoc. lib.3. aph.28. & in lib. de natura humana morbos, qui hyeme incipiunt,æſtate deſinere;qui æſtate fiunt hyeme finiri, & qui vere oriuntur, authumno ſolui, ac iudicari, conſueuerunt ſexto nimirum menſe exacto, ſeptimo incipiente: Qui dierum, menſium, ac annorum periodi nun-

quam euariano, niſi interturbentur ab aliqua cauſa externa, vel interna: In ſeptenario vero morborum numero ſemper aliqua mutatio, vel ad bonum, vel ad malum, vel ad ſalutem, vel ad mortem ſit. nam in acutis ſi natura ſit fortis, & humorem noxium concoquat, ac ſuperet, illum expellit, & æger à morbo vindicatur: quod ſi natura ſit imbecillis, & humor malignus, vel multus, vt ipſum domare, ac concoquere non valeat, æger morbo ſuccumbit: & ſicut mundi totius fabrica ſeptimo die eſt concluſa, ità in compluribus rebus vita hominis mundi creationem imitatur: vt fortaſſe hac ratione homo à ſapientibus microcoſmos fuerit vocatus: nam hominis conceptio ſeptimo die certa eſt ex Hippocr. lib. de principijs: nam vt M. Varro lib. primo de hebdomadibus referente A. Gellio lib. 3. Noct. attic. ca. 10. ait, cum in vterum mulieris genitale ſemen datum à primis ſeptē diebus conglobatur, coagulaturq;, fitque ad capiendam formam idoneum: ante ſeptimum menſem partus non eſt nec naturalis, nec vitalis, ſed tantum in ſeptimo: recens natos ſeptima dies probat: nam plurimi eorum, qui vitales non ſunt intra hebdomadam pereunt, ideo ſcripſit Ariſt. li. 7. de hiſt. anim. c. 12. plurimos pueros ante ſeptimam diem conuulſione

ne interire, & inde conſuetudinem emanaſſe pueris imponendi nomina ſeptimo die, tanquam ſaluti pueri magis credamus: Deus autem in priori teſtamento iuſſit pueros die octaua circumcidi quaſi victuros, vel quaſi exacto iam ſeptenario maximā vim haberent ad vitæ ſecuritatem: Hippocrates lib. de carnibus memoriæ prodidit, vitam hominis ſeptem dierum eſſe, cuius rationem mox ſubdit, ſi quis in ſeptem diebus nihil edere, vel bibere velit, plerique quidem in ipſis moriuntur, ieiunum enim inteſtinum in his diebus concreſcit: Hanc ob cauſam exiſtimare poſſumus miſiſſe Deum ſexta die cibum Danieli in lacu leonum iniecto, ne ſcilicet, ſi ſeptimam attingeret, fame periret: nam in his etiam quæ miraculosè agit, habet Deus rationem aliquam naturæ, ne plura quam opus ſit eueniant miracula, vt peritiſſimus Valleſius animaduertit: Hoc idem contigiſſe P. Sextio Baculo teſtatur Cæſar lib. 6. de bello gallico, vbi ait, illum ægrum in præſidio relictum ad ſextum vſque diem ſine cibo vixiſſe: ac Philo Iudæus narrat in lib. de vita contemplatiua Aegyptios patres in hæremo, qui maximis ieiunijs carnem macerabant ad ſextam diem ieiunos manſiſſe; nunquam tamen hunc terminum pertranſiſſe: Formationis fœtus in vtero

tempora ſunt quattuor ex Galeno li. de ſemine cap. 1. primum eſt (quod tamen improprie formatio dicitur) ſed potius, vt ait Varro cõglobatio, & coagulatio, dum adhuc apparet ſemen, & genitum dicitur, de qua Ariſtoteles lib. 7. de hiſt. animal. cap. 7. ait: ſemen in vtero inſinuatum, diuq; contentũ membrana obducitur, quippe quod antequam diſcernatur: exeat, velut ouum in ſua membranula contectum detracto putamine, membrana autem ipſa venis referta eſt, & Hipp. lib. de natura pueri genitura hæc eſt, vt ſi quis ouo crudo externam teſtam circum circà adimat, interna verò pellicula incluſus liquor perluceſcat, & tempus delineationis, lactationis, ac ſpumificationis dicitur, quod ſpatio ſeptem dierum perficitur ex Ariſtotelis ſententia lib. 7. de hiſt. animal. cap. 3. & ex Hippocrate lib. dè carnib. vbi ait; poſtquam genitum in vteros peruenit in ſeptem diebus habet quæcunque habere corpus debet, Quibus ſubſtantia hæc ſortitur quandam vitalium principiorum delineationem: Idem ellici poteſt ex lib. de Septimeſtri partu: Plinius quoque lib. 10. natur. hiſt. cap. 63. ſcribit, mulier ſeptima die concipere facillimè creditur: Varro etiam hanc veritatem cognoſcit, qui ſcriptum reliquit; ſemen in vtero muliebri primis ſeptem

die-

diebus conglobari coagulari, & fieri ad concipiendam formam idoneum: Omitto duo ſequentia tempora, cum nihil certi de illis penes noſtros inuenerim, quicquid dicant ſcientiæ huius imperiti: De quarto dumtaxat verba faciam, in quo abſolutus, ac perfectus eſt fœtus, qui tunc dicitur infans, quem S. Auguſt. lib. 83. qq. 3. Albertus in rubr. de ſtatu hominis nu. 11. Aegidius Roman. in lib. for. corp. hum. c. 15. quadraginta quinque diebus perfici ſcribunt: Alij maſculum quadraginta diebus, fœminam verò octoginta, quæ eſt nimis inſignis differentia, vt in gloſſ. Leuitici c. 12. gloſſa, & Doctor. in l. diuus ff. de extr. vin. quod maſculus in quadraginta diebus, fœmina in ſexaginta perficitur, & de cõmuni Paulus Girallandus de ſortil. q. 13. nu. 3. & 6. Hippocrates vero quamuis in lib. de Septimeſtri partu quadrageſimum diem pro fętus formatione conſtituerit, in lib. tamen de alimento ex ſententia antiquorum medicorum aliud tempus triginta quinque dierum propoſuit, quod ex quinto ſeptenario conſtat: quod tamen tempus poſſe paulo breuius, & longius eſſe aſſeuerat, cum ait, fiunt autem in ijs & plura, & pauciora, non autem multo plura, vel pauciora. Qui autem conceptus trigeſimo quinto die figuratur, ſeptuageſimo moue-

 tur,

tur, qui dies decem ſeptenarios efficiunt, & ducenteſimo decimo perficitur, menſe videlicet ſeptimo, vt eodem lib. ſcribit Hippo. ac etiam in lib.6.epid.ſec.7.com. 29. qui in ſeptuaginta mouetur, is triplicato numero perficitur, qui vero in nonaginta, is etiam triplicato numero abſoluitur, Galenus in commento videtur innuere numerum dierum, in quibus partus abſoluitur, & in lucem editur, ideo ex duplici eorum motu vtrunq; tempus deſignat, qui enim in ſeptuaginta mouentur diebus. ij triplicato numero perfecti, & abſoluti redduntur, & foras erumpunt, facile enim quiuis ſubducere rationem poteſt ex tot diebus, quot ſunt ex triplicato eo numero ſeptem menſes confici, ſeptuaginta enim ter ducta numerum ducentorum, ac decem conficiunt: ſicut nonaginta ter ducta numerum dierum ducentorum, ac ſeptuaginta, ex quibus nouem menſes conſtant, abſoluunt: Ideo decipiuntur illi, ac præſertim Conciliator, qui arbitrantur conceptum in cẽtum, & octoginta tantum perfici, qui dies ſex menſes conficiunt: nam ſi tunc contingat partum edi nõ eſt vitalis, vt cum experientia docet Ariſtot. Vt autem Hippocrates maximam vim ineſſe ſeptenario numero in gubernatione naturæ humanæ oſtenderet, præterquam quod dixe-
rit

rit in lib. de principijs, genituram in ſeptem diebus conformari; & hominem, ſi nihil edat, vel bibat in ſeptem dies mori, addit: hominem augeſcere in tertium annorum ſeptenarium, in quo adoleſcens fit vſque ad quartũ, ac quintum ſeptenarium, in quarto ſeptenario, dentes duos enaſci pleriſque hominibus, qui ſapientiæ dentes appellantur, poſteà ſubdit: ſeptenariam eſſe hominis vitam, hoc eſt, naturam humanam eà lege conditam, vt hæc ſeptenaria periodus & dierum, & menſium, & annorum potiſſimum eam moderetur: ità vt plurimis, ac maximis mutationibus his temporibus reddatur obnoxia, & quaſdam criſes, & acceſſiones efficiat, hinc præter relata de genitura, ac alimento ait: ſeptimo menſe genitos eſſe vitales, octauo nequaquã propter hanc ſeptenariam periodum, ad quod probandum ſcribit: non ſecus in partu contingere, quod in acutis morbis, & magnis capitis vulneribus vſu venit, vt ſcilicet, ſicut huiuſmodi hæc dies habent proprios ad ſeptenarij rationem ſubductos, in quibus iudicantur, vel in bonum, vel in malum, ſic, & partus dies proprij ſint, & menſes, in quibus ſi infans in lucem exeat de vita, ac morte illius ſit decernendum: ſeptenarius numerus pariter ætatem hominum metitur, quæ certis

periodis conſtat, quamuis alij aliter ſenſerint: nam Hippocrates teſte Galeno in libello, qui inſcribitur, breuis denotatio dogmatum Hippocratis ex Stobœi ſerm. & Galenus in lib. de ſalubri diæta com. 7. & lib. 8. de plac. Hipp. & Platonis illam, in quattuor tantum ſecant, in puerilem, quam veri reſpondere, & ſanguine abundare arbitrantur, in virilem, quæ bile affluit, & æſtati comparatur, in inclinantem, quæ vt authumnus bili atra exuberat, & in ſenectutem, quæ pituita ſcatet, & hyemi aſſimilatur: & hinc eſt, quod Ariſtot. lib. 7. de gener. animal. cap. 3. ſcripſit homines ſuis ætatibus hyemem, æſtatemq; agere, ac illis per ætatem, ver, æſtatem, authumnum, hyememque euenire ætates enim nil aliud ſunt, quam totius vitæ curſus mutationes quædam, perinde ac anni tempora annui tractus. Auicenna vero in lib. 1. ſen. 2. doct. 4. cap. 3. eidem diuiſioni innitens, ait pueritiam, ſeu adoleſcentiam ad annos triginta fere perdurare, virilitatem, quam conſiſtentem appellat, vſque ad quadrageſimum, inclinantem ſenectutem ab eo dictam ad ſexaginta annos, & ſenium vltimum vſque ad finem vitæ: cuius termini, & iam diuerſæ extant ſcriptorum ſententiæ, de qua re alij fuſe egerunt: Sapientiores tamen periodum ad humanam vitam demetien-

tiendam conuenientiſſimam quattuor ſupra octoginta annorum ſtatuunt, vt merito Staſœus Peripateticus, ac Plato etiam, vt Cenſorinus de die natali refert in eo terminum vitæ humanæ defixiſſe videantur: quod & in ſacris litteris eſt confirmatum: nam in Pſalmo 89. ſcriptum eſt: Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Quod ſi longiſſimum terminum figere valeamus, is iubente Domino Geneſeos c. 5, centum,& viginti annorum erit ſtatuendus. Auctor autem libri de Diæta, ſiue fuerit Hippocrates, ſiue alius hanc quadripartitam æ-tatis hominum diuiſionem confirmat, & virilem ætatem, adoleſcentiam, & inclinantem ſtatum appellat: Cum Ariſtotele in libello de reſpiratione quidam tres tantum eſſe hominis ætates aſtruunt, penes calidi, & humidi innati mutationes: quia, vel augetur, vel eſt in vigore, vel imminuitur, iuuentutem ſcilicet, vigorem, ſeu conſiſtentiam, & ſenectutem: nam in iuuentute augetur calor, in conſiſtentia ſtat, in ſenectute decreſcit: Hanc autem ætatis diuiſionem Serius Tullius referente A. Gellio lib. 10. noct. attic. ca. 28. ad reipublicæ vſum recipit,& pueros vſque ad decimum ſepti-

ptimum,atque inde vſque ad quadrageſimum iuniores, & ſupra eum annum ſeniores appellabat: Ideo alij ſtatuunt primam ætatem ad diſciplinas capeſcendas, ad bonos mores, & bonum corporis habitum acquirendum idoneam eſſe, ſecundam ad arma contrectanda, & ad dimicandum ob reipublicæ defenſionẽ, & tertiam ad præbenda conſilia aptam eſſe: Alij ex Galeno ſex eſſe hominis ætates volũt, primam eſſe pueritiam, quæ ab ortu vſque ad annum decimum quartum pertingit, ſecundam eſſe pubertatem, quæ auctore eodem Galeno li. 3. aph. com. 27. exorditur à decimo quinto, & vſque ad decimum octauum durat, ex 5. aph. com. 9. Tertiam eſſe adoloſcentiam, quæ ex eodem incipit à decimo octauo anno, & durat vſque ad vigeſimum quintum: Quartam eſſe iuuentutem, quæ & vigens, & florens, & conſiſtentiæ appellatur, quæ incipit ab anno vigeſimo quinto, & prorogatur vſque ad trigeſimum quintum: Quintam eſſe virilitatem, quam Cicero in dialogo de ſenectute conſtantem, & non conſiſtentem, vt omnes fere perperam iam nuncuparit, vt patet ex Galeno lib. 3. aph. com. 30. & 31. de ſanit. tuen. cap. vlt. vbi ait Galenus, quod ætas conſtans à græcis paragmatica dicitur, hoc eſt decreſcens, eo quod in hac ætate vires inſenſibi-

ſibiliter imminuãtur,& hæc à trigeſimo quinto anno vſque ad quinquageſimum peruenit: Sextam eſſe ſenectutem, quæ à Galeno citato loco de ſan. tuen. diſtribuitur, ſeu diſtinguitur in tres partes; pars prima viridis, vel cruda ſenectus appellatur, in qua homines adhuc ciuilia, & conſueta munia obire poſſunt; quæ ab anno quinquageſimo vſque ad ſexageſimum protrahitur: Secunda pars eſt media ſenectus, quæ à ſexageſimo vſque ad ſeptuageſimum extenditur, in qua vires adeo labuntur, vt homines non poſſint ſolitis officijs fungi: Tertia, & vltima ſenectus decrepitas appellata ab anno ſeptuageſimo ad octogeſimum, vt plurimum extenditur, in qua ob ſummam virium infirmitatem homines ad quælibet munia obeunda ſunt inhabiles: In hac ætatum diuiſione Galenus infantiam cũ pueritia coniunxit, quas ſi adinuicem diuidamus, vt eas Hippocrates ſeparat, ſeptem erunt ætates: & vt hanc rem abſoluam, omiſſis M. Varronis, & aliorum de humanis ætatibus ſententijs, videtur mihi Cenſorinus in lib. de die natali Hippocratis veſtigia ſequutus recte iudicaſſe, ſeptem eſſe hominis ætates, quod probatum eſt ab Ariſtotele lib. 7. Politic. cap. 16. nam Hippoc. lib. de Septimeſtri partu ſeptenario tantum tribuit, vt in eo vitam

tam hominis conſtituerit: nam non ſolum in ſeptimo die illius delineationem fieri, & in ſeptimo menſe perfici, verum etiam vbi à natiuitate ſeptimum menſem impleuerit dentes prodire, & illos anno ſeptimo excidere, & alios naſci, ſcribit: Prima igitur hominis ætas, erit ab ortu vſque ad ſeptimum annum, & eſt infantia, tunc enim recte eloqui didicimus, & incipit vſus rationis ex S. Thoma 4. ſent.d.27.q.1.& apti ad diſciplinas capeſcendas ſumus, vt ſcribit Ariſt.lib.7.Politic. c.17. A ſeptimo ad decimum quartum pertingit pueritia, ex quo anno incipit homo pubeſcere, & ferre ſemen, vt idem Ariſt.lib.7.de hiſt. animal.ca.1 teſtatur, quod poſtea vim genitalem ſuſcipit circà annum vigeſimum primũ ex lib.5. de hiſt.anim.ca. 14. quod tempus eſt pubertatis,quæ & adoleſcentia vocatur: à vigeſimo primo incipit iuuentus, & terminatur in trigeſimo quinto anno ex Galeno li. 3.aph. com. 30. quæ, & fluens, & conſtans nuncupatur: à trigeſimo quinto vſque ad nonum & quadrageſimum eſt virilitas,ſeu inclinationis ætas, qui quadrageſimus nonus annus eſt terminus ſeptimæ ſeptimanæ, ac florentis,& iucundæ potiſſimum vitæ finis videtur: labuntur enim ex hoc manifeſtius & vires,& vigor: quicquid ſupereſt vitæ, quod ferè ad alias ſeptem

ptem hebdomadas in magis temperatis corporibus, regionibus, ac victu produci ſolet, quamuis pauci ſint, qui eo perueniant, in duas partes rurſus diuidi poteſt, quarum prior primum ſenium vocatur à fine ſeptimæ ſeptimanæ ad decimæ initium, ad annum videlicet ſecundum, ac ſexageſimum, vel vt arbitratur Hippoc. lib. 2. conc. prænot. ſec. 3. tex. 2. ad tertium, & ſexageſimum pro tracta. Poſterior vero ætas ſecundum ſenium, & decrepitas vocatur, quæ à decima ſeptimana ad decimā quartam, annum quippe ſeptimum ſupra nonageſimum producitur, qui ferè vitæ humanæ eſt terminus. Cum igitur iam manifeſtum ſit, naturam in ſuis operationibus ordine certo procedere, ac illius definitum tempus eſſe ſeptenarium, ac præſertim in metiendis hominis ætatibus, vlterius non eſt ignorandum, cum res naturales alterationi, ac corruptioni ſint obnoxiæ: ſcribit enim Ariſtot. lib. de long. & breuit. vitę cap. 2. omnia in motu ſemper eſſe, ac fieri, ac corrumpi, & continentem, vel operari, vel cooperari, vel contraoperari, neceſſarium eſt, vt mutationem patiantur, & cū ſemper laboret animal, vt Ariſt. lib. 7. moral. Nichomach. cap. vlt. teſtatur, non ſolum quia omnia cum labore facit, ſed quia in eo omnia labuntur ad interitum: Nā,

vt

vt Galen.lib.de morb.temp.ca.1.ait; ſi natura immutationis animalium, alterationiſque perpetuo expers maneret, nimirum non corrupentur: & quoniam mutatio ordine quodam fieri debet,& ordo iſte ſeptenario numero aſcriptus eſt, vt ſuperius demonſtratũ eſt, ideò mutatio hæc ex naturę pręſcripto fiet in anno ſeptenario, in ætatum ſcilicet mutatione,quod prius docuit Ariſt.4.ſect.probl.4.vbi ait, per ætates mutari animantes in contrarium ſolent, deinde Galen. lib. 1.de ſan.tuen. cap.5:aſſerens,mutationem corporis fieri per ætates, in qua qualitates mutantur: humores vero alterari in hac ætatum mutatione manifeſtum eſt ex ægritudinibus peculiaribus, quibus quælibet ætas laborare ſolet ab Hippocrate in ſectione tertia aphoriſmorum explicatis, & lib. etiam coac. prænot. vbi ſcribit, horum morborum nullus ante pubertatẽ expectandus, verum à decimo quarto vſque ad quadrageſimum ſecundum natura corporis morborum omnis generis ferax ſit: rurſus ab hac ętate vſque ad annos ſexaginta tres non fiunt ſtrumæ: Idem C.Celſus lib.2.cap.1. docet. Cum igitur in ætatum mutationibus temperamenta immutentur, & humores alterentur, aliquibus tamen magis, aliquibus minus, ſi eueniat, vt huic mutationi aliqua

cauſa

cauſa extrinſeca coniungatur, vt aeris excellens caliditas, vel frigiditas, cibi, vel potus nimietas, vel praui ſucci ingeſtio, motus aliquis multus, ac vehemens, cuius ratione incaleſcat, vel nimium otium, quo torpeſcat, quippiam naturalis, vel conſueta euacuatio ſupprimatur, vel nimia euacuatione labefactetur, diu vigilare cogatur, vel multo, ac immodico ſomno vtatur, vel animi aliqua paſſione inſigni, vel timoris, vel mœroris, vel alterius ſimilis angatur, facili negotio humores iam alterati, agitati, & à priori ſtatu diuerſi magis alterantur, agitantur, & à putredine, vel corruptione aliqua afficiuntur, ex quorum putredine, vel corruptione morboſi affectus progignuntur magis, vel minus graues, lethales, vel ſalubres, acuti, vel diuturni pro validitate, ac imbecillitate alterationis, occaſioniſque, necnon diſpoſitionis corporum: cum in qualibet naturali actione conueniant maxime agentis fortitudo, & paſſi diſpoſitio: agentis enim fortitudo requiritur: quoniam à proportione minoris inæqualitatis, vel æqualitatis non ſequitur actio, ſed à proportione maioris inæqualitatis paſſi etiam diſpoſitione eſt opus, quia quodlibet nõ agit in quodlibet, ſed determinatum in determinatum: & actus actiuorum non ſunt niſi in

patiente bene diſpoſito: Quod autem in ætatum mutationibus humores, & corpora alterentur, & morbis obnoxia fiant auctoritatibus etiam probari poteſt: Galenus enim lib. 3. de dieb. decret. ca. 5. ſcribit: omne actionis principium magnas alterationes in ſeptenarios circuitus obtinere; & Ariſt. ſec. 4 probl. 4 per ætates mutari animantes in cõtrarium: omnis enim mutatio in contrarium, & ex cõſequenti difficilis plerunque, ac turbulenta, ità vt ſi corpus ſit ſanum ægritudinem, ſi è contra ægrum ſanitatem experiatur, primo etiam probl. 15. ait, mutationem omnem eſſe morboſam, ætatiſq; mutationem motu eſſe facilem, hoc eſt, inſtabilem, & incertam: Hippocrates etiam lib. de humoribus ait, mutationes maxime pariunt morbos, & præſertim maximæ, & in temporibus magnæ mutationes, & in alijs quædam ſenſim progreſſu fiunt: tempora autem huiuſmodi ſunt ſecuriſſima ſicut etiam diætæ, & frigus, & calor maxime progreſſu ſenſim facto: itemq; ætates ità comutantur: quam ætatum mutationẽ S. Auguſtinus in Pſal. 127. mortem appellat, vbi ſcribit: optas, vt paruuli creſcant, vt accedat ætas optas, ſed vide, quia cum vna accedit altera moritur, veniente pueritia moritur infantia, veniente adoleſcentia moritur pue-

pueritia, & ſic de alijs ætatibus explicat ſubdens, quot optas gradus ætatis, tot ſimul optas, & mortes ætatum: & ideo Ariſtot. ſect. 1. prob. 3. ait: mutationes ſtatuum, ætatum, & locorum habent inter alia vim morbos procreandi: quod peculiariter de temporum mutationibus lib. 3. aph. 1. annotauit Hippocrat. vbi ait: mutationes temporum maximè pariunt morbos, & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo: cuius ſententia germanus ſenſus eſt iſte, mutationes, hoc eſt ſucceſſiones naturales temporum anni, veris ſcilicet, æſtatis, authumni, & hyemis, vbi fit tranſitus ab vno ad aliud maxime pariunt morbos, hoc eſt, mutatio temporis eſt morborum maxima cauſa: & in ipſis temporibus addit Hippoc. ideſt, in quouis illorũ temporum mutationes primarum qualitatũ, & aliorum, vt flatuum, ac ſimilium morbos pariunt: cuius effectus cauſa eſt, quoniam mutationes corpora noſtra à ſuo naturali tẽperamento deducunt, illa ſecundum temporis qualitates afficiendo, ac alterando: quod etiam à Philothæo interprete græco animaduerſum eſt, cum ait, mutationes qualitatis aeris mutant corpora, & hinc morbis datur aditus, & in mutatione vnius temporis pariter,

ter, quod differentes humores progignantur, & quod potentiæ reſoluantur: Ariſt. quoque 1.ſect.prob.3.ſcribit: mutationes temporum, ac ventorum morbos intendunt, tollunt, iudicant, vel faciunt ſuo exceſſu, & inde fit, vt qui bene valent ęgrotare tempore mutato incipiant: quia neceſſe eſt temperamentum in illa mutatione ſoluatur, ideo cum tempora euariant, ratio valetudinis habenda eſt diligētius. Quod ſi mutationes temporum in his, qui bene valent alterando, ac permutando humores morbos parere poſſunt, multo magis mutationes ætatum, ac complexionum ſimili alteratione in humoribus contracta ægritudinum cauſæ eſſe poſſunt, cum illæ ſint cauſæ externæ, ac minus efficaces, hæ vero internæ, ac maiori vi prædıtæ, & hinc fit, vt cum iſtæ mutationes fiant in quolibet ſeptenario, vt quilibet ſeptenarius periculi prorſus non ſit immunis, ſed non omnis æqualiter, ſed vnus magis altero, vt ſupra explicatum eſt non ſolum ratione ſui, verum etiam aliarum cauſarum, quæ alterationes, ac mutationes corporum, ac humorum augere, vel minuere poſſunt: & quemadmodum ex ſeptenarijs inter ſe comparatis, vnus eſt magis, vel minus periculoſus, ita & ex hominibus, aliqui in his annis in magna, alij in parua inci-

dunt

dunt pericula, & nonnulli etiam ab omni diſcrimine immunes redduntur: cum enim diuerſæ ſint hominum complexiones, ſtatus, & conditiones, harum rerum ratione diuerſi etiam effectus cum illis conſequuntur. & ſicut non omnes homines ſub peſtilenti cælo ægrotant, ſed plerique liberi à peſtilentia ſeruantur, vel leui morbo corripiuntur, ita non omnes homines in annis Climactericis læduntur, ac afficiuntur neceſſario. Præterea, quemadmodum non omnes homines illis ægritudinibus corripiuntur, quæ in qualibet ætate fieri, ac illarum peculiares eſſe conſueuerunt, de quibus Hippocr. in ſecunda parte lib. 3 aph. ita, nec omnes homines in annis Climactericis, & in quibus morbi fieri ſolent ægrotare, vel male habere contingit. Manifeſtum eſt etiam ex medicorum doctrina, & re ipſa ſatis comprobatur, nullum temperamentum durare poſſe toto vitæ periodo exactè tale, ideo Galenus lib. 1. de ſan. tuen. cap. 5. ait: poſtquam animal in lucem editum eſt perpetuo mutari eius temperamentum neceſſe eſſe, nã neque calidum, neque frigidum, humidum, vel ſiccum; neque duo horum ſimul habens corpus poteſt etiam toto vitæ periodo ſeruari, ſed ætatum mutationes accipit: nam in pueritia eſt calidum, & humidum, in adole-

ſcentia temperatum, ſeu mediocre, in iuuentute calidum, & ſiccum, in ſenectute frigidũ, & ſiccum: Verum quidem eſt, quod toto vitæ periodo ſeruatur idem temperamentum in quadam proportione earum conuerſionum, quæ per ætates fiunt, vt ex gr. à principio factum eſt corpus aliquod calidum, hoc temperatum eſt quodammodo in adoloſcentia, non adeo tamen atque illud, quod à principio factum eſt temperatum, & in ſenectute eſt frigidum, & ſiccum, ſed non ità vt illud, quod à principio factũ eſt tale: & ideo cum in primis ſeptenarijs mutationes naturarum non ſint multum diſſimiles à primo temperamento; & vires ſint validæ fit, vt homines in primis ſeptenarijs parum, vel nihil patiantur: cum autem in qninto ſeptenario, anno videlicet trigeſimo quinto incipiant vires inſenſibiliter, & aliquantulum imminui, ac temperamenta magis variari, tunc aliqualiter etiã, ac leuiter in his ſeptenarijs affici poſſunt, & cum in ſeptimo ſeptenario, anno videlicet quadrageſimo nono ſenſibiliter vires imminuantur, ac magis complexiones mutentur, & vigor manifeſte deficiat: habitus enim incipit refrigerari: nam, vt Ariſt. lib. 5. de gen. animal. ca. 4. teſtatur, omnis ætas labitur in frigiditatem, cum iam corpus inclinatur, &

con-

conſeneſcit : ſenectus enim eſt frigida, & ſicca, ideo anni verè Climacterici, & periculoſi à quadrageſimo nono incipiunt ob hanc inſignem mutationem, & tunc verſari in diſcrimine homines incohant in illo, & ſequentibus ſeptenarijs : & quoniam in fine crudæ, ac viridis ſenectutis, & in principio veræ ſenectutis anno ſcilicet ſexageſimo tertio corpora noſtra magis ad frigiditatem, & ſiccitatem mutantur, & ſuccus melancholicus in ea generatur, ac redundat magis, quam in alia ætate, vt teſtatur Galenus in libello, breuis denotatio dogmatū Hippoc. cum humor iſte ſit natiuo calori valde infenſus, & qualitates illæ frigidæ, & ſiccæ ſint vitæ noſtræ aduerſantes, excrementiaque humiditas inſigniter redundare incipiat, cuius ratione Galenus lib. 2. de temper. ſenectutem natura ſua ſiccā humidam appellat, fit, vt ſubſtantifica membrorum humiditas, & calor innatus ab excrementia humiditate in ſenibus redundante obruatur, & à contrarijs qualitatibus multū imminuatur, ex quo euenit, vt anno ſexageſimo tertio potiſſimum ægritudines difficillimæ, ac lethales ex oriantur, & frequenter interitus ſequatur. Quod ſi frigidum, & ſiccum fuerit ab ortu temperamentum niſi cum maxima difficultate annum hunc euadere poterit :

rit : ſicut è conuerſo ſi calidum , & humidum procreatum ſit, & tale ſeruatum quantum fieri poteſt , nullum , vel exiguum detrimentum à Climacterico anno percipiet , ſi recta tamẽ vtatur victus ratione,& nulla in re delinquat: Ex quibus omnibus patere arbitror , cauſam periculi annorum horum eſſe mutationem inſignem , alterationemque corporum , & humorum cum eorundem corporum diſpoſitione, quibus ſi aliqua cauſa extrinſeca ſuperueniat , maiora , ac minora eueniant pericula , penes fortitudinem , ac imbecillitatem cauſarum , neceſſe eſt , ita vt leues , ac benignæ , graues & malignæ ægritudines oriri poſſint , etiam ſine humorum redundantia , quamuis hæc quoque adeſſe poſſit , quæ tamen cum in alijs quoq; annis non Climactericis fieri poſſit , & fiat , vt ſupra diximus fateri debemus , illam non eſſe præcipuam , ac immediatam cauſam periculi annorum Climactericorum,ſed mutationem, & alterationem corporum, & humorum .

Ce-

Celeberrimi cuiuſdam viri negantis veritatem horum annorum rationes, & obiectiones refelluntur.

Cap. X.

POSTREMIS his diebus contigit mihi legere cuiuſdam Philoſophi, ac Medici fama clari libellum, in quo doctrinam horum annorum commentitiam eſſe, ac vanam ille ſcripſit: quamuis in libelli titulo, & in principio tractatus proponat tãtum demonſtrare annum ſexageſimum tertium non eſſe infœlicem, infauſtum, & periculoſum: nec morbos, nec mortem plerunque afferre, aduerſus antiquos, & recentiores ſcriptores, & vanam de hoc anno, vt ipſe aſſerit, opinionem ex mentibus hominum euellere pollicetur: quod tamen non aſſecutus ſit, alij ſint iudices. Illius ergo argumenta, & obiecta ſigillatim proponam, ac illis ſatisfaciam: Quamuis longa verborum ſerie nõnulla proponat, quæ huic doctrinæ minimè aduerſantur: aſſerit enim multos longiſſimam vitam nunc habere, & annis præteritis habuiſſe: non paucos etiã per totum vitæ curriculum per-

fectam ſalubritatem adeptos eſſe, & alios pleroſque iugiter fęlicem vitam dixiſſe: Mortis horam eſſe incertam: Animalium vitas varios periodos in ſpetie, ac in indiuiduis habere, qui à cauſis naturalibus, & contingentibus, non à numeris ortum habent, cum cauſæ naturales eſſe non poſſint: oſtendit præterea in natura, & efficacitate annorum Climactericorum fato nihil eſſe tribuendum, & ita nolens, hos annos fatetur: cum fatalis hora omnino ſit dubia, & arbitrij libertatem tollat: & nonnulla de fato diſſerit. Annorum Climactericorum facultatem eo argumento reprobandam eſſe ſcribit, quia numerus quatenus numerus nullam nec naturalem, nec ſupranaturalem vim, ac poteſtatem habet: quod nemo ſanæ mentis negabit: ſeptenarios annos non prout ſunt ſeptenarij agere poſſe, ſed quoniam in ipſis natura ſuas molitur operationes, & hæc eſt annorum horum vera doctrina, quam profitetur demoliri: Multa inutiliter, & nihil ad rem facientia de diuerſa annorum ſupputatione commentatur: Ariſtotelem 1. ſectio. probl. 15. & 4. ſect. probl. 4. de ætatum mutationibus morboſis, in illis mutari animalia ſcripſiſſe; & ne verbum quidem de annis Climactericis, vel eorum effectibus protuliſſe aſſerit: quæ tamen auctoritas

eas vanam hanc doctrinam non facit, ſed validam eſſe oſtendit, vt iam explicaui. Complures naturæ operationes, quæ in ſeptenarijs fiunt, enumerat, quæ ad roborandam doctrinam horum annorum facere poſſunt: De diebus etiam criticis verba facit, qui ſeptenariam rationem ſequuntur; & de nouenarij numeri facultate plura ſcribit: Quibus addit, naturam in vitæ termino, ac periodo, ac in illius diſſolutione præfinitum nõ habere tempus, vel periodum, cum ſemper ſubiecti conſeruationem curet, quæ omnia fere doctrinã horum annorum magis firmare, quam deſtruere poſſunt. Prima igitur difficultas aduerſus hanc doctrinam allata, eſt: Naturam in omnibus ſuis operationibus perpetuo hominis conſeruationem intendere, & nunquã illius interitum per morbos, & mortem: hoc eſſe verum fateor, & ad confirmationem addo: quod natura etiam optaſſet, ſi fieri potuiſſet, vt ſuum opificium immortale fuiſſet, quod per ipſam non licuit, vt teſtatur Galen. lib. 14. de vſu part. ca. 2. nam vt ait Hippo. lib. de natura hum. tex. & com. 5. Si vnum extitiſſet homo nullo vnquam tempore dolere potuiſſet, neque eſſet à quo dolore afficeretur, ſi quidem vnum eſſet: hoc eſt, vt explicat Galen., ſi ex vno tantum elemento eſſet compoſitus,

ſitus, nunquam dolore premeretur: cum autem ſubdit Hippoc. multa ſint in corpore, quę morbos creant, neceſſe eſt; vt multa morborum genera in illo generentur, cum videlicet ex quatuor elementis, & quatuor humoribus genitus ſit, & in ætatum mutatione alterentur, & mutentur ex naturæ neceſſitate, oportet etiam vt ex mutatione ſanitas peruertatur, vel euerſa recuperetur; aut interitus ſequatur: & quamuis extrinſecæ cauſæ ſint contra naturæ intentum, & ordinem, & vt dicitur per accidens, & contingentes ſint, ætatum vero mutatio, & humorum alteratio ſunt cauſæ naturales, & minime contingentes, vt ipſe etiam affirmat, & propterea illorum effectus etiam ſunt naturales, & minime contingentes: Etſi aliqui eadem die, in qua nati ſunt quibuſdam annorum interuallis mortui ſunt, vel ſingulis annis ægrotarunt ex cauſa contingenti, illud erat probandum: ſed dato, & conceſſo, quod illorum euentuum cauſa fuerit contingens, ex hoc arguere non poteſt cauſas horum annorum eſſe contingẽtes: cum illa particularis, hæc vero vniuerſalis ſit: præterquam quod fusè explicatum eſt, annos Climactericos habere cauſas naturales, & neceſſarias, & ſi contingentes aliquando eis coniungantur. Secundo ita argumen-

mentatur; ſi anni Climacterici quatenus tales malorum effectuum eſſent cauſæ, tale quid in illis eſſe per ſe dicendum eſſet, ſed quod alicui per ſe ineſt, illud de omni, & ſemper prædicari deberet ex Ariſtotele lib. poſter. cap 7. igitur omnes, & ſinguli homines in annis his mori, vel ægrotare ex neceſſitate contingeret. Reſpondeo, annos Climactericos aliquando, & non ſemper morborum, vel mortis eſſe cauſas, vbi videlicet inſignis ſit mutatio, & alteratio, & ſubiecti temperamentum conueniat: neceſſario tamen, ac per ſe in his annis ætates mutari, & humores alterari, ex quibus non ſemper nec ægritudo, nec mors ſequitur: quoniam non ſemper eodem modo ætates mutantur, & humores alterantur, & diuerſa ſunt hominum temperamenta: in primis enim ſeptenarijs parua, & exigua ſit temperamenti mutatio, & humorum alteratio, idcircò in illis etiam homines exiguam, vel nullam percipiunt læſionem, ſeu mutationem: in poſterioribus vero cum inſignis ſit mutatio, & alteratio in illis magis periclitari ſolent: & cum in temperamentis, & humoribus varia ſuccedat mutatio, & alteratio, ſit, vt varij oriantur effectus: propterea annis Climactericis non ineſt per ſe, & ſemper, vt homines ægrotent, vel moriantur, quod video

deo

deo à Doctore eſſe probatum: nam ſicut ætates morbos illis familiares non ſemper ſecum ferunt, ità nec omnes homines in annis Climactericis in nouos, & graues, aut ſempiternam ægritudinem incidunt. Poſtea ex incertitudine vltimi vitæ noſtræ diei horum annorum vim damnandam eſſe cenſet, ſed non affert rationem: impertinens tamen eſt comparare incertitudinem vltimi termini vitæ noſtræ cum vi, & natura horum annorum, quorum aperta, & certa eſt mutatio, & alteratio, & finis vitæ noſtræ ſemper incertus. Altera huius præſtantiſſimi viri ratio hæc eſt: Si profitentes ſcientiam Climactericam hos annos non neceſſario vitam terminare volũt, ergo id non habent proprium, & à natura inſitum, & in his terminis periculoſam certitudinem nullam habent: fatemur quidem hos annos vitam neceſſario non terminare, nec certitudinem periculoſam habere, nec id illis eſſe proprium, ſed dumtaxat mutandi, & alterandi vitam, in qua mutatione, & alteratione aliquando morbĩ fiunt, & nonnunquam etiam ſequitur mors. Quod verò his addit, criticos dies periculoſam certitudinem ex naturæ inſtituto ſemper habere, eſt manifeſte falſum: quoniam ſæpius ægrotantes in diebus criticis ad melius mutantur, &

priori

priori ſalubritati reſtituuntur. Præterea aſſerit, argumentum operum naturæ à cauſis occurſantibus impeditorum horum annorum incertitudinem demonſtrare, & in quibuſcunque annis, & bonos, & malos euentus homini accidere poſſe: negare non poſſumus in quibuſcunque annis poſſe hominem ægrotare, & ægrotantem ſanari, alterari, & in meliorem, aut deteriorem ſtatum mutari propter varias occurſantes cauſas, quæ & ſi aliquando poſſint effectus horum annorum impedire, vel mutare, hoc eſt per accidens, & non ratione naturæ illorum, vt hac ratione aſſerendum non ſit, hos annos incertos eſſe: ſemper enim habent vim mutandi, & alterandi: quamuis hi effectus non ſint ſemper manifeſti, & hoc illos incertos eſſe probare haud poſſit: nam ſicut natura in diebus criticis ſemper non facit iuditium, imò raro fieri videmus, propterea non eſt negandum dies criticos talem habere vim, & naturam morbos iudicandi, & quò ad hanc facultatem eſſe certos, & ſi non iudicant, id ex eorum natura non euenit, ſed quoniam natura à cauſis occurſantibus impeditur: Imo argumentum à diebus criticis acceptum eſt efficax ad probandum horum annorum certitudinem; nam ſicut critici dies habent à natu-

ra vim iudicandi, & niſi ab aliquâ euenientе cauſa impediantur, morbos iudicant: ita & anni Climacterici habent hanc inſitam vim, & facultatem, mutationem aliquam, & alterationem in vita hominis faciendi, niſi impediantur. His non contentus eximius Doctor horum annorum effectus ex diuerſa annorum ſupputatione è medio tollere nititur; eo quod diuerſa ſupputatio omnino Climactericorum annorum numerum confundat; vt qui tempore præſenti trigeſimus quintus, quadrageſimus ſecundus, & quinquageſimus eſt ex præſenti annorum ſupputatione, ante actis temporibus propter variam, ac diuerſam ſupputationem diuerſum numerum habent. Ego quidem miratus ſum valde, quomodo in re tam manifeſta vir ille clariſſimus cæcutierit, cum anni Climacterici non à diebus, menſibus, & annis temporum, ſed à die, menſe, & anno natiuitatis vitæ principio exordium ſuum accipiant: ſicut etiam dies critici non ab anni tempore, ſed à morbi initio ortum ſumunt, & à morbi ipſius principio ſupputantur: Ideo ſi varia ſunt annorum temporis ſupputationes, annorum tamen horum eſt eadem ſemper, & certa. Sed contrà rurſus inſurgit aſſerens, quò ad annorum numerum pertinet, eandem eſſe rationem, quæ

eſt

eſt dierum, & talia fieri in eo numero non ratione numeri, ſed ratione cauſarum occurrentium, quæ contingentes ſunt: Reſpondeo, eandem eſſe rationem numeri annorum, ac dierum, in quibus morbi fiunt, & ſoluuntur, non eſt verum: nam in diebus non Climactericis ratione cauſarum occurrentium morbi fiunt, & ratione materiæ coctæ, vel crudæ multæ, vel paucæ, validarum, vel imbecillium virium ad bonum, vel malum terminantur finem: morbi autem in annis Climactericis ratione cauſarum intrinſecarum fiunt, & ſoluuntur; quæ cauſæ non ſunt contingentes, ſed perpetuæ, & neceſſarię: nec valet aſſerere omnes prętern aturales operationes ratione cauſarum extrinſecarum eſſe contingentes, & non perpetuas, nec vt plurimum: nam naturę operationes morboſę, quę prętet illius intentum in annis Climactericis accidunt, primario ac per ſe à cauſis externis, & contingentibus non excitantur, ſed à cauſis internis, & naturalibus, quę ſunt neceſſarię, nec contingentes, ſed perpetuę: nam cum cauſę ſunt neceſſarię, & perpetuę, oportet vt effectus etiam ſint neceſſarij, & perpetui: ætatis verò mutatio, & humorum alteratio in quolibet Climacterico anno eſt perpetua, & neceſſaria: idcircò effectus ab illis emanantes

tes ſunt perpetui, & neceſſarij, qui tamen ſunt varij pro varietate mutationis, & alterationis. Et quoniam magna eſt vis veritatis, vt teſtatur Cicero in oratione pro Cœl., quę non ſolum contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam facile ſe per ſe defendat, verum etiam à contradictoribus afferatur, non eſt mirum, ſi prȩſtantiſſimus vir poſtquam doctrinam horum annorum eſſe inanem, & commentitiam ſe probaſſe arbitratur, eam tamen veram eſſe, & ſolidam, & naturalibus inniti fundamentis duobus in locis aperte demonſtrauit. Primo enim loco fatetur dari, & eſſe quoſdam veluti articulos ętatum dichotomias dictos mutationem afferrentes, & ſolere animalia per ętates mutari, & has mutationes habere ſuas cauſas naturales manifeſtas, neque illas pendere à numeris annorũ, vel aliqua cauſa in eis latente, & occulta: ex quibus relatis tota doctrina horum annorum pendet: nam ſi articuli illi, & dicothomion nuncupati mutationem afferunt, & animalia per ętates mutantur, cum mutatio hęc, vt ſępius diximus in contrarium fiat, & mutatio in qualitatibus ſit poſita, fit, vt in his mutationibus, & alterationibus morbi fiant, vel morbi ſoluantur. Poſteriori vero loco ſcribit; in Climactericis annis multas fieri in corpo-

ri-

tibus mutationes, quæ tamen non iugiter ad malum, ſed indifferenter ad bonum, & ad malum fiant pro ſubiecti varietate: quod & hac ratione probat, quemadmodum morbi, quos Hippoc. ſingulis ætatibus conſignauit, ac illi etiam, qui temporum mutationes ſequuntur, neque omnibus, neque ſemper eueniunt, ità in mutatione, & alteratione, quæ fit in annis Climactericis homines non ſemper ægrotant, nec mutatio illa ad malum terminatur: imò ſicut plures morbi in anni mutationibus depelluntur, ita & in annis Climactericis aliquando ſani fiunt ægrotantes, & hæc eſt doctrina Zuccharæ ab Auerroe recepta, quod non fit, ſubdit ille, ratione numeri quatenus numerus, ſed quatenus contingit in illis tales euentus fieri. ex quibus omnibus palam fit eximium hunc Doctorem doctrinam hanc annorum Climactericorum manifeſte probaſſe, & ligulo pedem ſuum vulneraſſe, vt in ore vulgi, & in prouerbijs verſatur.

An Climactericus annus ab anno ſexto incipiat, & qua illius anni parte pericula, ac morbi eueniant. Cap. XI.

PERCONTANTI ex me amico meo, an verum ſit quod quidam, qui ſcire profitetur, aſſerit; annum Climactericum initium ſumere ab anno ſexto, & qua anni illius parte, vel quo menſe pericula, & ægritudines eueniant, reſpondi, annum Climactericum incipere à primo menſe, ac die ſeptimi anni, ſexto anno exacto: nam ſicut dies legitimi decretorij incipiunt quolibet ſeptimo die ſexto tranſacto, Hippocrates enim li. 2.aph.24. ait, ſeptenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus, ſi igitur octauus eſt principium ſecundi ſeptenarij, & dies iudicatorij ſunt ſeptenarij, ſequitur decimum quartum, qui eſt finis ſecundi ſeptenarij, & non decimum tertium, qui eſt ſextus huius hebdomadæ eſſe iudicatorium: Ita, & anni Climacterici, qui ſunt in ſeptenarijs, quolibet ſeptimo anno inchoant, anno ſexto expleto, in primo videlicet menſe, ac die ſeptimi

anni: Mutationes vero, & ægritudines in eiſdem Climactericis annis, vt plurimum fiunt, non autem in præcedenti, vel ſubſequenti eos, nunc in primis, nunc in medijs, nunc in vltimis menſibus, prout humores ſunt magis, vel minus calidi, vel frigidi, in pauca, mediocri, & multa copia, ſi morbi à materia oriantur, natura fortis, & cauſæ externæ citius, vel tardius, remiſſæ, vel validæ aduenerint, hæc enim mutationes celeres, vel tardas, vel mediocres efficere valent, ſed magis in vltimis menſibus: nam, vt docet Galenus lib. 14. de fac. ſimpl. med. ca. 15. in ijs omnibus, quæ à natura mutantur, ſenſim fiunt mutationes, potiſſimum vbi in multum diſſidentes, aut plane contrarias qualitates alteratio, tranſituſq; perficitur: Cum autem pericula, quæ frequenter anno ſexageſimo tertio experimur ratione contracti, ſeu, acuti temperamenti frigidi, & ſicci, & prouentus ſucci melancholici, exoriantur, cum humor iſte ratione ſuæ craſſitiei, & duritiei tarde moueatur, ac magis in vltimis menſibus exuberet, quam in alijs, exiſtimandum eſt, in huius Climacterici vltimis menſibus magis fieri mutationes, ægritudines, & interitus ſequi, vt ego in me ipſo expertus ſum, qui circa nonum menſem ſexageſimi tertij anni, in quo horum anno-

rum veritatem, & doctrinam didici, ac ſcriptis tradidi, dolore nephritico nunquam à me experto, grauiter laboraui, & à nonnullis animi, ac corporis, quamuis non grauibus moleſtijs, grauatus ſum. Quod ſi quis cauſis intus exiſtentibus anni iſtius pericula euadat, cum propter labores anno Climacterico perpeſſos, ac diuturnam naturæ cum cauſis morbificis pugnam, & prauam illius humoris naturam, vires valde imminutæ ſint, ac debiles, euenit vt natura victa ſuccumbat, & anno ſexageſimo quarto ille moriatur, vt in multis fieri Illuſtriſſimum, ac peritiſſimum Cardinalem Bellarminum obſeruaſſe, audio.

Ex quibus omnibus quantam veritatem anni Climacterici habeant, vnuſquiſque eruditus vir iudicare poterit.

PARS SECVNDA.

Vitam auxilio artis medicæ prorogari, ac pericula Climactericorum annorum vitari poſſe. *Cap. I.*

QVAMVIS mors ex neceſſitate naturæ euitari minime poſſit, opera enim naturæ, vt ſcribit Gal.lib.de marcore cap.2.ineuitabilia ſunt, ope tamen, & induſtria artis medicæ retardari, ac vita protrahi valet, ſi Galeno, Auicennæque vtriuſque ſectæ principibus, ac morali Senecæ fidem habere debemus: ille n. 6. de ſan. tuen.cap.1. ait, qui ſalubrem viuendi rationem ignorant, credibile eſt citius hos, quam neceſſe ſit pro naturæ ratione interire tanta enim eſt, vt etiam lib.2.de Chriſt.med. rat.ſcripſi, eius artis, quæ vitæ, ac valetudini hominum proſpicit vis, & potentia, vt ſi quis eius præcepta neglexerit, non modo miſeram, & omni malorum colluie afflictam, ac infeſtam vitam ducat, verumetiam terminos, quos naturæ bene conſtitutæ lege erat æqua-

turus, ſibi ipſe neglectu artis ſupprimat, atque auferat. Quod ſi artis medicæ contemptores citius, quam pro naturæ lege diem obeunt, conſentaneum eſt obſeruatores præceptionum artis in longius tempus diem eſſe prolaturos iuxtà illud Ariſtotelis 2.topic.oppoſitorum oppoſitæ quoq; ſunt rationes. Auicenna vero lib.1.fen.3.cá.1.artis medicę enumerans dotes, ars, inquit, quæ ſanitatem cuſtodit de duabus rebus ſecuritatẽ præſtat, putrefactionis, ne penitus ſubeat corpus, & defenſione humiditatis innata, ne citò diſſoluatur, & in eius fortitudine conſiſtat, vt ipſa vſque ad debitum tempus ſecundum ſuam primam complexionem peruenire faciat: poteſt igitur & natiuus humor ne cito exhauriatur artis beneficio diutiſſime conſeruari, & putredo arceri: quod pariter fuit dictum à Galeno lib.5.& 6.de ſan.tuen.& lib.de maraſmo ca.5. ſenectutis quidem marcorem diſſolui non poſſe, ſuccurri tamen ei, vt plurimum producatur. Quod ſi ſenium arte protrahi, atque proferri poteſt, nonne eadem ratione ſuperioris vitę curiculum? quod & hac firmiſſima ratione comprobari poteſt: cuius productrices cauſę, & principia poſſunt procurari arte aliqua, & quam validiſſima reddi, & idipſum quoque diutius produci poterit,

atqui vitæ principia arte medica ita procurari poſſunt, vt diutiſſime ſeruentur, & perſtent, poterit itaque vita arte medica normam definiente prorogari: calor ſiquidem natiuus noſter humido primogenio, & radicali ſubnixus vitæ noſtrę principium, & cauſa eſt: at poteſt humidum radicale inſtaurari, ac vegetior interdum arte reddi, vt patet in hectico curato, in intemperaturis his lapſo, quæ in melius arte à Galeno tradita ſunt: poteſt etiam natiuus calor ita arte temperari humectante victus ratione, & excogitatis ad id auxilijs, vt ne humidum primogenium abſumendo, ſiccitatem, frigiditatemq; pabuli defectu, tandemque mortem inferat: Seneca epiſtola 58. verſus finem ſcribit, Platonem ipſum ad ſenectutem ſe diligentia protuliſſe, nam nauigationes, & pericula multum, inquit, detraxerant viribus, parſimonia tamen, & eorum, quæ auiditatem euocant modus, ac diligens ſui tutela perduxit illum ad ſenectutem, multis prohibentibus cauſis, nã annum vnum ſupra octogeſimum impleuit ſine vlla deductione. & paulo poſt ſcribit; poteſt frugalitas producere ſenectutem, quam vt non puto concupiſcendam, ita ne recuſandam quidem, iucundum enim eſt, eſſe ſecum quam diutiſſime, cum quis ſe dignum, quo-

frueretur, effecit: Petrus etiam Aponenſis multis rationibus, & auctoritatibus Ariſtotelis, Galeni, & Haly probat, naturalem vitæ finem non eſſe ab initio ad vnguem determinatum, ſed vltra, citraq; moueri, & obitum naturalem differri poſſe cum Aſtrologiæ machinis, tum præſidijs medicorum: Auxilijs vero medicorum non ſolum homines noñ validos ſæpiſſime, ſed etiam valetudinarios vitam longam aliquando conſequutos eſſe exẽplis manifeſtum eſt: Herodicus enim quidam literarum ſtudioſus omnium ſui temporis infirmiſſimus, vt Plato, & Ariſtoteles teſtantur, huiuſmodi prouidentia annum fere centeſimum impleuit, & Plutarchus narrat, multos corpore alioquin parum firmo ſola diligentia longam conſequutos vitam: quam rem illuſtri Pollionis Romuli exemplo magis firmare poſſumus, qui, vt teſtatur Plinius lib. 22. natur. hiſt. centeſimum annum excedens ab Imperatore Auguſto interrogatus, quanã ratione illum animi, & corporis vigorem cuſtodiſſet, reſpondit, intus mulſo, foris oleo: Remedijs igitur, & optima viuendi norma poteſt vita protrahi, & pericula Climactericorum annorum euitari: his enim rationibus minas aſtrorum prohiberi etiam Ptolomæus confitetur: & ideo nos haud temere in his

præ-

præſcribendis elaborabimus.

Diſſentaneum viſum eſt amico meo ſupracitato, ac rei naturæ repugnare, quod à principio capitis ſcripſimus: mortem eſſe naturæ opus: cum ipſi vim inferat, ipſique ſit inimica, naturam vtiquè diſperdens, ac corrumpens: Quo modo autem hæc ſententia recte intelligi debeat, ſic interpretati ſumus nixi auctoritatibus Ariſtotelis, Galeni, Auicennæque, nec non ratione. Ariſtoteles enim in lib. de iuuent. & ſeneƈt. vita, & morte ca. 13. & 14. duo mortis genera conſtituit, violentũ alterum, alterum naturale, mors, inquit, & corruptio violenta quidem eſt, caloris extinctio, aut marcor: naturalis vero eiuſdem marcor ob temporis tranſacti longitudinem proueniens: Galenus etiam lib. 1. de ſan. tuen. ca. 2. & 3. etiam duas interitus morbi, ac corruptionis cauſas affert, alteram internam, ac naturalem, ſiccitatem ſcilicet ætatis decurſu augeſcentem, ſubſtantiæ noſtræ fluorem, quam inſitus calor excitat, & excrementorum prouentus: alteram externam, ambientem videlicet aerem: Auicenna p. p. dert. 3. ca. 3. ait, & hæc eſt mors naturalis cuique indiuiduo deſtinata, ſecundum ſuam primam complexionem, vſque ad terminum, quem habet vi ſua potentia, ad ſuam humiditatem con-

conſeruandam; vnumquodq; enim terminum præfixum habet, qui in indiuiduis diuerſificatur propter complexionum diuerſitatem: Diximus itaque mortem eſſe naturalem, ſeu naturæ opus, quia neceſſario rei naturam conſequitur, cuius eſt, itȧ vt habeat in ea exiſtentiæ ſuæ principium: agens enim calor innatus in humidum radicale, atque membrorum inſitum calidum, ea abſumit, atque exiccat, vt vitæ fouendæ, quæ calido, & humido conſtat amplius idoneum ſubiectum non ſit, itȧ vt per accidens, & quadam conſequutione, calor innatus humidum depaſcens, interitus ſit cauſa: quam rem plurimum iuuat noſtra ex contrarijs conſtitutio, quæ tandem reciproca actione, ac diſcordi lite animal tandem diſſoluunt, alijs ſuperantibus, & alijs ſuperatis: Rectè igitur diximus, mortem eſſe naturalem, ſeu naturę opus, cum neceſſario conſequatur animalis naturam, & conſtitutionem: omne enim genitum animal interire, neceſſarium eſt.

De

De remedijs vitam producentibus. *Cap. II.*

QVò ad remedia, cum relata Pol-
lionis hiſtoria occaſionem de-
derit de mulſo verba faciendi,
primo noſcere debemus, mulſum
a græcis οιμαδα dictum fuiſſe,
cuius faciendi ratio vetuſtiſſima eſt: quod ex
frequenti illius apud Homerum mentione e-
uidentiſſimum fit: conficitur autem, vt do-
cet Dioſcor. lib. 5. ca. 12. è vetere vino, auſte-
roque, ac melle optimo, duabus vini parti-
bus, & vna mellis acceptis: Hæc potio olim
percelebris, quotidiana, ac ſaluberrima e-
rat, vt mirum ſit hac ætate exoleuiſſe: nam
mulſum teſte Dioſcoride, ac Plinio, appeten-
di cruditatem reuocat, corpus alit, & au-
get, aluo prodeſt, vrinam pellit, ita vt mul-
ti ſenectam longam mulſi tantum nutricatu
experti fuerint: Quidam docent pro ſenibus
parare vinum ſic: accipiunt vini optimi de-
fæcati menſ. xv. ſyr. cotoneorum ex melle fa-
cti menſuras ij vuarum paſſarum lib. ij. & in
paruo dolio recondunt vinum. Mel etiam ſo-
lum vitam producere, ac ſenectam longeuam
fa-

facere poſſe antiqui quidam ſcriptores affirmant: Ideo ſcribit Athenæus lib. 2. ca. 3. Cyrnios Corſicæ incolas eſſe longæuos, quoniam mellis cibo vtantur aſſidue, & interrogatum Democritum, quo pacto quis ſanus poſſit agere, ſi interna, reſpondiſſe, melle irrigaris, oleo autem externa: ideò cum ipſe melle admodum oblectatus fuerit, in nonum ſupra centeſimum annum vltimum diſtuliſſe diem: tanta melli ineſt vis, nec immerito, cum alimentum ſit familiare naturæ amicum, ac dulcedine iucundum, permultaq; alia bona præſtari valens, quæ à Dioſcoride lib. 2. cap. 74. enumerantur: Nec deſunt vitæ producendæ antidota quædam in clariſſimis medicis inuenta. Marſilius Ficinus lib. 2. de vita cap. 19. ex oblatione CHRISTO Domino noſtro à tribus Magis facta præclarum conficiendi pharmaci argumentum accepit ex auro, thure, & myrrha, quod aureo mero compactum aptiſſimum eſt, vt ipſe teſtatur ad prodncendam ſenectutem ex naturali horum, quæ ſimul miſcentur vi, ac proprietate, ac ſimul opportunum maximè ex myſterij ſignificatione, ad vitæ auctorem venerandum: accipit verò thuris vncias duas, myrrhæ vnam, auri in folia ducti dimidiam drachmæ partẽ, quæ tria ſimul contundi debent, & cum aureo

reo

reo quodam mero in catapotia conficere, quarum portiuncula qualibet aurora ſumatur, & exiguo meri potu perfundatur, & ſi forte æſtas incaluerit, tunc aquam roſaceam bibere præſtat:& ſi quis calorem quouis tempore magis metuat, is myrabolanum chebulam, aut emblicam æqualem ad illorum trium pondus ſimul adijciat: hoc medicamento humor primogenius à putrefactioте ſeruabitur, & calori innato reſolutio longius prorogabitur, ſpiritumque tum animalem, tum vitalem, ac naturalem fouebit, confirmabitque, ac corroborabit, vegetabit ſenſum, acuet ingenium, ac memoriam conſeruabit, ſicut Ficinus teſtatur: Aliud remedium erat trifera ſaracenica maxime auro admixto, cuius inuentor fuit Meſue, quam aliqui iuuenem reddentem hominem interpretantur. Hæc ex Haly ſententia in explicatione canticæ coctionē ventriculi, & iecoris ſuo calore iuuat, ob id flatus diſſipat, humores in ventriculo, & alijs viſceribus putres abſumit, oris, ac reliqui corporis odorem, ac calorem commendat, laſſitudinem tollit, ſanitatem præſentem tuetur, & morborum generationem prohibet: ſed nihil fortaſſe magis præſtat ſeni pro vita ſalubriter degenda, ac ſenectute prorogandа, quam ſalis abſynthij vſus: nam ille

craſ-

craſſos, ac frigidos humores, quibus ſenes abundant in ventriculo, ac meſenterio exiſtentes extergit, & attenuat, calorem innatum roborat, & viuificat, ſpiritus puriores reddit, putredini reſiſtit, & efficaciter ab ea præſeruat, quæ ſunt præcipua inſtrumenta ad mortem protelandam: vt interim pleraſque alias illius mirificos facultates, hanc prorogationem adiuuantes, ſileam, cum illas longiori ratione in ſuo peculiari libro perſequutus fuerim: Multa alia antidota ab auctoribus, & præcipue à Marſilio Ficino, proponuntur, & à Cardano lib. 4. de ſan.tuen.c.38. quæ vnuſquiſque apud eos legere poterit: Aliqui inter præcipua prorogandæ ſenectutis remedia proponunt carnes Ceruorum, quia diu viuunt, ſanguinem humanum arte chimica paratum, nucleos pineos, aurum potabile, carnes, ac ſales viperinos, ac theriacam, qui tamen decipiuntur, cum hæc remedia partim vana ſint, ac partim periculoſa: nam aurum potabile ab hominis ventriculo minime conſequi poteſt, viperinæ carnes ſi frequenter vitentur cæcitatem, & celerem ſenectam faciunt, ac theriaca crebro ſumpta mentem turbare, & ſomnolentiam primo, deinde vigiliam excitare ſolet.

De

De ratione euitandi Climactericorum annorum pericula, ac per conſequens conſeruandi ſanitatem. Ac primo de aere. Cap. III.

AT propoſita, & alia eiuſdem generis præſidia parum prodeſſe poſſent, niſi congrua viuendi norma coniungatur, quę verſari debet circa res non naturales à medicis, & à Galeno lib.art.med.cap.83.& 85.ſalubres cauſas, & conſeruatrices vocatas, quæ cum extrinſecus nobis aduenlant,& corpora neceſſario alterent, ac immutent, niſi opportune adhibeantur, ſanitatem, & naturam hominis peruertunt, & potiſſimum in annis Climactericis, in quibus humores mutantur. In norma vero hac præſcribenda, quam in multis acceptam refero Franciſco Valleriolæ illud primo ęſt animaduertendum, vt ſi illius, cuius curam gerimus temperamentum à ſuo naturali ſtatu fuerit immutatum, illud reuocare ſtudeamus, & potiſſimum antequam ad annos Climactericos perueniat,& ſi in ſuo ſtatu permanet, illud conſeruetur. Quo ad primam cauſam ſalubrem, quæ eſt aer, qui nos ambit,

eſt

eſt res ſine qua teſte Galeno li.9.meth. ca.16. ſanitas ſeruari non pōt,niſi aſsiduè bonus aer inſpiretur, quo calor natiuus refrigeretur, ac ventiletur: ſaluber autem, ac bonus erit, qui tota ſua ſubſtantia, & eſſentia purus, tenuis, patens, ac liber, nullis inquinamentis obſitus, nulla putredine affectus, nullo vapore, vel odore malo, craſsitie, vel corruptella perfuſus, quique leuibus, ac ſuauiter ſpirantibus ventis modice agitatus, valdeque ſerenus ſpiritus noſtros recreare, ac reficere valet: Vitioſus vero, ac inſalubris eſt ille aer, qui ex ſtagnantium aquarum, vel paludum, vel cloacarum, vel animalium fimis, vel lini, vel canapis putredine habitu malo vitium contraxerit, & qui ob ſtagni cuiuſpiam vicinitatem, vaſtive fluminis, nebuloſus, craſſus, ac caligine plenus efficitur, nec minus vitioſus eſt qui, editis vndique montibus ſeptus, demiſſoque loco, ac cauo, vel in domicilijs, vt carceribus arctatus, & concluſus, nullum, vel paruum percipit perflatum: ſaluber eſt aer ſublimis locorum, ac altioris partis domus, qui hinc inde à ventis agitatur, & ad Septentrionem magis vergit. ab alto recedens, quanto inferior, tanto deterior eſt, cum fere immotus maneat: cum in acceſſu, ac diſceſſu ſolis aer multis repleatur

vapo-

vaporibus, ſit, vt aer matutinus, ac ſerotinus ſit valetudini aduerſus, & ad excitandas deſtillationes multum efficax. Inſuper æſtate auſtro flante loca ſeptentrioni patentia, hyeme autem aquilone meridiei expoſita, ſalubriora ſunt: Quælibet autem excellens admodum aeris qualitas ſanitati officit, ac vitam breuem facit, quoniam ex Galeno 1. in 1. Epidem. corporum ſymetriam, quæ ſanitas eſt, interturbat, ac corrumpit: aer temperatus corporibus temperatis eſt ſaluberrimus, teſte Galeno lib. 1. de ſan. tuen. intemperatis vero is aer eſt optimus, in quo contrariæ qualitates exuberant.

De cibo, ac omni alimentorum ratione. Cap. IIII.

QVONIAM hominis natura, ſicut & aliorum animalium diſſolutioni, ac inanitioni, ac tandem interitui eſt obnoxia, perpetuoque effluxu tenuior illius ſubſtantiæ pars diſſipatur, ac inſenſibili tranſpiratu diſcedit: huic defectui ſagax, ac prouida natura alimoniam dedit, vt quod continuo effluxu diſſolutum eſt, alimentorum ope,

atque præſidio reſarciri, inſtaurariq; quod inanitione perierat, commode poſſet: & ſicut oleo deficiente lumen, ita nutrimento carente, innatus calor, abſumitur. Vt autem alimentorum auxilio vitam ſalubrem tranſigere, ac Climactericorum annorum pericula vitare valeamus, ciborum delectus curam præcipuam habere debemus, cum pro varia alimentorum natura, non ſolum corporis, verumetiam animi mores meliores, deterioreſque fiant, vt Plato docet in lib. 5. de legib. & Galen. in li. quod animi mores &c. Nec ſolum bonitatis ciborum rationem habere oportet, ſed & quantitatis, qualitatis, ordinis, temporis, horę, delectationis, propenſionis, conſuetudinis, modi præparationis, & ætatis, vt pro omnium horum ratione cibus ſit vtilis, ac ſalubris. Quo ad bonitatem eligendus eſt ille, qui optimi ſucci, concoctu facilis, minimè excrementoſus, bonumq; procreat ſanguinem; non eſt autem in ſenſu cibi mali ſucci numerandus quiſquis à ſumma perfectione vel tantillum excidit, imo boni ſucci cibus ille etiam erit, qui notabili, ac euidenti vitio careat. Nec debemus nimis cibis, ac potibus repleri, ſed illis paſci, ac ſobrie veſci, neceſſitati, & non voluptati conſulentes: qui enim, vt ſcribit S. Gregorius

ac-

acceptis alimentis, non ad ingurgitationem ventris vtitur, ſed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam neceſſitas petit, ſcit ſatiari, & Hipp.lib.2.aphor.17.ait, vbi cibus præter naturam, hoc eſt, plus æquo ingeſtus eſt, morbum facit, hinc celebris illa eiuſdem ſententia lib.6.epid.par.4.c.20.emanauit; ſanitatis ſtudium eſt, cibis non ſatiari, & ad labores impigrum eſſe; Ideo Ariſt. 1. probl.47. ſcribit, cibum minuere, & laborem augere eſſe ſalubre, quia cauſam ægrotandi habet excrementorum nimietas, quæ tunc ſane exultat, cum, aut cibus ſupereſt, vel labor deeſt. Continentiæ in victu commoda illa ſunt, nè excrementa in corpore redundent, ne cruditates morborum genitrices fiant, ne obſtructiones, viſcerumq; infarctus à copia oriantur, vt meatus patentiores ſint, & vt natiuus calor quaſuis corporis partes libere permeans, eas viuificet, foueat, roboret, indeque vegetum corpus, ſalubre, firmumquè reddatur: eadem præſtat voluptatis contemptus, eſt enim voluptas eſca malorum; hanc vero in cibis excitant varia condimentorum, ſalſamentorum, ac lautiorum ciborum genera, in principum, ac diuitum menſis maximæ vſitata, quibus gula, vitra quam neceſſe eſt, irritatur, dum prurit u de-

ſiderij copioſius, vel certe de ſingulis paucu-
la ſumuntur: Ne igitur in hanc pernitioſam voluptatem ſanitatis amans incidat, hanc ciborum varietatem, apparatumq; multiformem valetudini, ac vitæ aduerſantem, vitare ſtudeat. Socrates enim, vt ſcribit Plutarchus lib. de tuen. valet. ſolitus erat ſuadere, illos cibos, potuſque vitandos eſſe, qui vltra famem, ſitimque ſedandam producerent appetentiam; quod ea voluptate inceſſantes magnis malis inficerent: Nocet namque empta dolore voluptas: Vt autem vnuſquiſque ſcire poſſit, quæ cibi quantitas naturæ ſuæ conueniat, animaduertere debet, vbi in prandio, ac cęna appetentia deſinit, ita vt ventriculus amplius cibum non expetet, inditium eſſe conuenientem alimenti quantitatem acceptam eſſe: & ſi ab aſſumpto cibo ſtomacus, vel etiam venter, extendantur, ac tumeant, ructus erumpant, ac ciborum ſapores in ructibus percipiantur, iners, ac ſomniculoſus fiat, ita vt nec legere, nec ſcribere, aliaue ſolita munia obire poſſit, vel mentis acies ita hebeſcat, vt differere minime, vel ſaltem non ſine labore valeat, inditia eſſe, illum cibarijs ventriculum oneraſſe, quæ ſanitatem perturbare poſſunt: nullus enim cibus eſt ità bonus, qui propter nimiam quantitatem ma-
lus

lus effici non poſsit, & ſanitati officere: Vt autem plus cibi, quam opus eſt, non ingeratur, oportet in comedendo efficere, vt reliquiæ famis aliquæ remaneant, quæ tamen poſt horam deſtruuntur: Quod ſi in cibo, vel potu exceſsiſſe aliquando contigerit, ſequenti comeſtione error compenſandus erit, vt ſi prandium largius fuerit, paruior, vel nulla ſit cæna, & longior ſomnus. Scio à pleriſque eſſe diſpoſitum, an ſalubrius ſit bis, vel ſemel in die comedere; mihi tamen magis probatur, vt communis conſuetudo bis in die cibum ſumendi ſeruetur, nam vt C. Celſus lib. 1. ca. 1. teſtatur, prodeſt bis in die potius, quam ſemel cibum capere, & quantum concoqui poſſit: quæ coctio vt plurimum cum mediocri cibo perfici conſueuit: nutrimentum enim ita alternatim ingeſtum fere nunquam intermittit, quo minus internis partibus apparatum ſemper inſit: quod cum vnico nutricatu fieri facile non poſsit, id iuxta robur, & molem recipientis vaſis crebra repetitione compenſatur: Ideo, qui naturaliter paruo ſunt ſtomaco, vt pueri frequentius comedere debent, qui ampliore, vt valde adulti minus ſæpe, & illi, qui non ſemel, ſed bis, terve interdiu pro naturæ tolerantia alimentum humidum, ſeu molle, ac facilis coctionis ſumunt, mi-

nis cito ſeneſcunt: quoniam humidum innatum ſic inſtaurant, ac reficiunt, & incolumiores, ac pulchriores fiunt: cibaria tamen coctione dura, vt caſeus, carnes bubulæ his, qui multum exercentur minus officiunt, vel fortaſſe proſunt, ac robur præbent ſi recte cõcoquantur, & digerantur ſicuti ſumma ſacietas, & expletio damnatur, ita tenuis, & maxime exquiſita viuendi ratio non ſolum in ægris, verumetiam in ſanis ab Hippocr. 1. aph. 4. & 5. improbatur: nam qui parcius, quam natura poſtulat cibum capere volunt, à quauis etiam leui cauſa externa læduntur, vt ſi repentinæ alicui aeris mutationi ſe exponant; vel amplius exerceantur, vel comedant, vel vigilent, quam conſueuerint, ita vt ad munera, quæ maxime hominibus conueniunt obeunda minime apti reddantur; vt ſe ipſos, amicos, ac rempublicam adiuuare non poſſint, & hi etiam citius intereunt: modice vero ſe implere, & cibo indigere non permittere, ad vitæ longitudinem maximè confert: Indigentia etiam, ſeu inedia incaute adhibita ventriculum peſſimis humoribus biliofis, ac ſeroſis ſuccis implet faſtidia parit, ventriculi robur labefactat, appetentiam deijcit, & atrocibus malis obnoxios facit: & quamuis ſemper valetudini ſeruandæ magis conducat

tam

tam in prandio, quam in cœna modicè comedere, ſi tamen in hac, vel in illo vberior cibus eſſe debeat, magis expedit, vt in cœna maior copia cibi ſumatur, quam in prandio, præſertim ab illis, qui interdiu fatigantur, cum melior coctio fiat in ſomno, quam in vigilia, ac labore: Qui tamen catarrhis, & alijs capitis affectionibus ſunt obnoxij, vel parcius cœnare debent, vel ſi cœnare vberius expediat, ſaltem id faciant per tres, vel ad minus duas horas ante dormitionem: tunc enim cum cibus ad fundum ventriculi diſceſsit, & ab ipſo amplexatus eſt, minor vaporum copia ad caput eleuatur, & qui iam geniti ſunt in vigilia diſsipantur: In hac tamen controuerſia de lautiori cœna, vel prandio vnuſquiſque conſuetudinem, ac peculiarem naturam animaduertere debet, ac pro illorum ratione conſilium capere. Iam vero ciborum qualitas eadem omnibus minime eſt congrua, ſed variari debet pro varia aſſumentium natura, temperamento, conſuetudine, tempore, & ætate: bilioſis enim & ſiccis refrigerantia, & humectantia conueniunt: pituitoſis calefacientia, & exiccantia congrua ſunt: melancholicis quæ calefaciunt, & humectant: ſanguineis refrigerantia conuenientia ſunt: contrarij enim corporum habitus ad contrarium

victum bene, ſimiles ad ſimilem male ſe habent: præter quam quod ſi ætas temperata ſit, quæ à ſimili bene afficitur, vt Galenus lib. 3. aph. com. 3. teſtatur. Ciborum tamen alia, atque alia qualitas eſt eligenda pro varia hominum conſuetudine: eſt enim, vt ait Galen. li. 3. de facul. natur. conſuetudo adſcititia quędam natura: Ad inſueta tamen nonnunquam tranſire conueniens eſt iubente Hippocrate; nam qui ſolis, & quibuſdam cibis tantum veſci aſſueſcunt, ſi contingat, vt alios aſſumere cogantur, grauiter læduntur. Interdum igitur varijs cibarijs, & vitæ vario genere vti, ad ſanitatem conducit: qui enim in omni ætate lautiſsima quadam curioſitate, ſeu guloſitate viuunt, ſæpè minus tuti viuunt. Tempus etiam ciborum qualitatem pro ſui natura immutat, alia enim vere, æſtate, atque authumno, alia ab his diuerſa hyeme edulia conueniunt: nam cum hyems ſit immoderate frigida, & humida, plurimo cibo, ſed calido, & ſicco, potu vero pauciſsimo, ac meraciſsimo, carnibus magis aſſatis, quam elixis, & oleribus pauciſsimis vtendum eſt: æſtate vero calida, & ſicca nutrimentum humidum, ac molle conuenit, & carnibus elixis, potioneque multa, & magis diluta vti, vere temperatis cibis, ac potibus vtendum eſt, & mediocri-

teri, authumno cibo pleniore, quam æſtate vti expedit: Pueris multum cibi, ac ſæpe in die eſt dandum propter eorum multum calorem innatum, qui alioqui in ſubſtantia humida, ac molli abſumitur, defluitq; ſenioribus vero, ac decrepitis ſæpe quidem, ſed parum pro vice exhibere conuenit, ne paucus eorum calor multo alimento extinguantur. Nec minus ætas ad ciborum qualitatem pro cuiuſque naturæ mutandam facit: non enim eadem pueris, adoleſcentibus, conſiſtentibus, ac ſenibus cibaria congruunt: delicatiora enim pueris, ac molliora, adultis valentiora, ſenibus vtiliora, & labentis ætatis velut fomenta quædam infirmitatem iuuantia magis ex vſu ſunt. Quo ad ordinem ciborum, ſi ſtomacus fuerit frigidus, qualis in ſenibus, ac hominibus otioſis eſſe ſolet, ſemper mollia, & humida, & quæ concocta ſunt facile præmittere expedit: contra vero ſi ſtomacus fuerit calidus, vt eſt in aliquibus iuuenibus, laborantibus, & ſe exercentibus, quos Galenus lib 2. de aliment. facult. facilius carnes bouinas, quam ſaxatiles piſces concoquere poſſe ſcribit: ijs expedit craſſos, ſiccos, duroſque cibos præmittere tenuibus, ac mollioribus: craſſi nanque cibi recte in eorum ſtomacis concoquuntur, tenuis vero in nido-
ro-

roſam, ac fumoſam quandam qualitatem corrumpuntur: communiter tamen humida, pinguia, ac dulcia primo loco; quæ ſicca, & aſtringentia ſunt, ſecundo loco aſſumuntur. Porro hora ſumendi cibum conueniens eſt, cum prioris cibi onere leuatos eſſe, ventriculoq; exonerato conferiſſe nos priorem cibum percipimus, fameq; ad expetendum cibum commouemur. Vſu ab omnibus receptum eſt fere, vt inter prandium, & cœnam octo, vel vt aliqui volunt, nouem horæ interponantur: in paucioribus tamen epulis pauciores etiam horæ ſufficiunt: & cauere oportet, ne vnquam ventriculo graui cibum capiamus: nam cruditatem, obſtructionem, putredinem, ac ſæpe febrem gignet: Ideo modo citius, modo ſerius ille accipiendus erit, prout & ventriculi, & occaſionis, & inſtantis temporis ratio poſtulat. Aeſtate tamen frigidiori hora diei matutina, hyeme calidiore meridiana corpus alere expedit, ne calor in æſtate nos opprimat, & appetentiam deijciat, cum hyeme calor adiuuet. Eſt etiam propenſionis, ſeu delectationis ad cibum habenda ratio: nam vt docet Hippocr. lib. 2. aph. 38. paulo deterior cibus, modo iucundus, ac gratus ſit, bono, ſed iniucundo, ac ingrato præferri debet: cum illum ventriculus melius cōple-

plectatur, & facilius concoquat: Qua in re eſt etiam animaduertendum, ſæpius fieri, vt propter abditum quendam cum hoc, vel illo cibo diſſenſum, vt cibus ex ſui natura boni ſucci, ac facilis coctionis in ventriculo quorundam corrumpatur, & illis ſit noxius, & alius mali ſucci, & duræ coctionis facilius concoquatur, & in vtilem ſuccum conuertatur: Quare in hoc caſu, ſicut & alijs peculiari naturæ vis non eſt inferenda, cum experimentis multis comprobatum ſit, eos, qui cum hac antipathia pugnare voluerunt in incommodis, ac periculis implicatos extitiſſe: Nec ſolum in cibo, & potu, vt ſuperius ſcripſimus, conſuetudo, verumetiam in omnibus alijs rebus non naturalibus diligenter eſt obſeruanda: nam teſte Hippocrate lib. 2. aph. 50. quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, inſuetis minus moleſtare ſolent: At cum nemo ſit hominum, qui inopinatis rerum ſortibus non ſubijciatur, periculoſa eſt vnica tantum conſuetudo, ideo Hippocrates addit: oportet igitur ad inſueta permutari, mutatio vero debet eſſe modica, quoniam conſuetudo aſcititiam quandam naturam in corporibus gignere ſolet, cui contraria adhibere eſt noxium, gaudet enim natura ſemper conſuetis.

De

De potu tum aqua, tum vini, & horum electione, ſumendiq; ratione. Cap. V.

CIRCA potum quoque pro conſeruanda valetudine aliqua præcepta obſerudre oportet: nam ſi quis aquam potare conſueuit, vel illa vinum limphare expediat, aquam eligat, quæ ex Galeno de ſan. tuen. cap. 11. omni çareat qualitate, quo ad ſaporem, odorem, & colorem, & ſit ſimpliciſſima, tenuiſſima, perlucida, ac celeriter ab hypocondrijs deſcendat: tales cenſentur eſſe, quæ citò calefiunt, ac cito refrigerantur, & in illis legumina, ac cerealia facilius decoquuntur: & ſi præter hæc æſtate frigidiores, hyeme verò calidiores exiſtant, bonæ cenſentur. nec leuitas ſola aquæ eſt ſufficiens argumentum illius bonitatis, vt experientia comprobatum eſt, & teſtatur Oribaſius lib. 1. ad Eunap. cap. 14. ideo Hipp. lib. 5. aph. 26. ait, aqua quæ cito calefit, & refrigeratur leuiſſima eſt, & Galen. in com. non pondere talem eſſe leuiſſimam dicendum eſt: Quod ſi vinum bibere quis fuerit aſſetus, vt ſunt fere omnes homines noſtrarum regionũ, ex vinis eligat, quæ mitiora ſunt, & caput minime

nime lædant, quæ recte expurgata & clara, nec recentia minuſque vetera ſint. Priſci ad frangendas vini vires, vt teſtatur Plinius lib. 14. cap. vlt. ſaccis lineis percolare conſueuerunt, quod ſaccitominum eſt appellatum, vt potores plus bibere poſſent. In vini tamen vſu ætatum, exercitiorum, temperamentorum, regionum, ac temporum ratio eſt habenda: nam vini vſus in pueris, ac adoleſcentibus non ſolum corpori, verumetiam animo officit, vt Plato lib. 2. de leg. Ariſt. lib. de ſomn. ac vig. ca. 3. & Galenus 1. de ſan. tuen. ca. 11. teſtantur: ad iram enim, ad libidinem eos præcipites facit, & partem animi rationalem hebetem, turbidamque reddit: Nam, præterquam quod nimium humectit, ac calefacit, caput etiam halitu replet: ideo niſi in modica quantitate tenue, aquoſum, ac multa aqua dilutum exhibere conducit: ſenibus vero maxime idoneum eſt præſertim vinoſum, ac generoſum: Ita calidis naturis aquæ, quam vini potio commodior eſt, ac vtilior ab Hippocrate cenſetur lib. *6*. epid. ſec. 4. aph. 13. frigidam vero naturam magis adiuuat vini potus illis, qui multum comedunt vina vinoſa robuſta dicta nocent, & illos, qui parum comedunt, iuuant: Hyeme merum, ac vinoſum in pauca tamen menſura. Aeſtate

vero

vero tenue, aquoſum, ignobile, vel valde dilutum, copioſius dare expedit: Ideo ſcripſit Hippo. lib. de ſalubri diæta tex. 2. hyeme plurimum comedendum, bibendum quam parciſſime, & potus vinum eſſe debet, quam meraciſſimũ & tex. 3. at vere ineunte amplius potandum eſt, & dilutius eſt, ac paulatim: De temperandi vinum ratione animaduertere oportet, aliam ægrotantibus, aliam ſanis conuenire aquæ mixturam; vini etenim momentum ægrotantibus in morbis quibuſdam permiſcemus ad quandam veluti excitationem, quæ diſtribui in corpus aquam faciat, & aquæ ſinceritatem tollat: ſanorum maxima pars vinum quidem dilutum æſtate potiſſimum bibunt, verum aquam vinum ſuperare non eſt neceſſe: Multa vero ſunt, quæ modum temperationis docent, natura, temperamentum, ætas, regio, & conſuetudo, quin & vis, & natura vini ipſius: quidam enim ſunt dilutius potare aſſueti, qui meraciori epoto, vel puſillo læduntur: alij item meracius bibere aſſueti, quibus dilutiori potione ventriculus ſubuertitur: In vini igitur vſu ſi modus ſeruetur pleriſque magnum ad valetudinem tuendam auxilium præſtat: Quomodo autem potus in prandio, ac cęna ſumendus ſit, non ſolum diuerſę, verumetiam peni-

penitus contrariæ auctorum ſententiæ reperiuntur: Nonnulli enim probare conantur, potulētam materiam igne calefactam, etiam media æſtate, guſtui iucundiorem, & valetudini vtiliorem, quam frigidam eſſe, ex antiquorum præcipuè Romanorum conſuetudine, eaque potiſſimum ratione, quod calidum ſit naturæ noſtræ amicum, & calidum naturale conſeruet: frigidum vero naturæ noſtræ inimicum, & calori naturali noxium: Quam opinionem ego minime probare poſſum: cum omnes fere homines aſſueti ſint frigidum potum capere, & conſuetudo, quæ naturæ vices ſubijt, ſeruanda ſit præterquam quod potio calida faſtidia parit, cibi auiditatem minuit, viſcera contriſtat, ac neruos debiliores facit: Inſuper ſi Hippoc. lib. de affect. ſuadit, vt ægrotantibus quicumque cibi, vel potus, quos ipſi concupiſcunt, exhibeantur, ſi non damnum corpori acceſſurum ſit, & lib. 6. epid. ſec. 4. com. 8. laborantibus gratiæ, hoc eſt, gratificandum eſſe, ità tamen vt non valde lædant, multo magis id erit ſanis præſtandum: nam quæcunque cum voluptate aſſumuntur, illa ventriculus amplexatur, & facilius concoquit, ex quo cibus deterior nonnunquam redditur melior, cum autem omnes fere etiam à natura frigidam po-

Digitized by Google

potionem expoſcant, & calidam auerſentur, vti contra naturam; vt teſtatur Plinius li. 28. ca. 4. quod etiam in brutis obſeruatur, quę frigidum, & non calidum potum quærunt, & volunt, merito calida potio, vti naturæ, & valetudini noxia, reijcienda erit; Ex aduerſo alij voluerunt potum arte, vel in puteis, vel in niue, vel glacie æſtate potiſſimum maximè refrigeratum ſumendum eſſe tanquam homini vtilem, ac proficuum: qui potandi modus cum ſenſui ſit gratus, ac magnopere delectare videatur, factum eſt, vt plerique ſuauitate huius fucatæ voluptatis nimis illecti, illo libentiſsime vtantur: Nihilominus, ſi quæ res eſt, quæ in communi vſu vitam hominis labefactare, grauiſsimas ægritudines excitare, ac vitam breuiorem facere valeat, eſt refrigerati potus abuſus: nam frigido potu vitiantur fauces, pectus, pulmo, ſtomacus, ac inteſtina, quin iecur ſæpius frigida potione adeo induratur, vel corrumpitur, vt morbi diuturni, ac inſuperabiles, ac potiſſimum hydrops, ſi multum bibatur, ſequantur: præterea ſpirandi difficultas, colica tormenta, & multa alia mala frigidiores potus comitantur: Hinc lacrymæ, eiulatus, ac medicorum imploratio: & quamuis, vt Galen. lib. de cib. leui, ac ma. ſucci cap. 13. & Au-

ctor

ctor lib. de renum affectib. cap. 7. teſtantur, nullam protinus iuuenum corporibus ſenſibilem læſionem inferant, ſenſim tamen, & occulte creſcente vitio, cum iam ætas progreſſu temporis inclinauerit, articuli, neruiquè, & viſcera his morbis vexantur, qui vel difficulter, vel omnino tolli non poſſunt: Quod ſi potio refrigerata iuuenibus non eſt tuta, multo minus alijs ætatibus, & præcipue ſenibus, ac mulieribus, quorum corpora frigida ſunt iuuenum corporibus comparata: Auicenna enim in 4. p. doc. 5. cap. 2. ſcribit frigiditatem ſuperfluam eſſe ipſam caloris innati mortem, aut ei propinquam, & Auerroes lib. 3. collec. ait, frigiditatem eſſe calori naturali contrariam, & ipſum impedire in omnibus ſuis operationibus, præterquam quod frigidior potus guſtus actionem ita labefactat, vt vini ſaporem guſtare haud permittat, non vt guſtabile, ſed prout tactile eſt, percipiatur, ac ſentiatur: Nec eſt facile enumerare illos omnes, qui ex frigidiori potu ſtatim interempti ſunt, vel peſſime affecti, quorum tamen plurimi recenſentur à Quinto Curtio lib. 7. a Guglielmo Tyrio lib. 3. cap. 16. ab Appiano Alexandrino de bellis ciuilib. lib. 5. à Paulo Iouio ab Antonio Beneuenio lib. de abd. mor. cauſ. cap.

16. à Blaſio Senenſi, Amato Luſitano cent. 2. Aloyſio Mundella, & Iulio Cæſare Scaligero, vt rectiſſimè ſcripſerit Andreas Baccius lib. 5. de thermis cap. 7. & ſi potus frigiditas aliquandiu non lædat pro conſuetudine, ac forti calore ventriculi aliquot, ſuo tamen exceſſu, atque abuſu non poſſe, niſi vitam abbreuiare: Alexander tamen Petronius concedit vſum frigidiſſimi potus, in æſtate tantum intenſe calida his, qui ſtomacum ante cibis refertum habent, qui ſanguine abundant, qui ſeſe multum exercent, qui longum iter peragunt, qui in feruido calore naturaliter ſitiunt, & qui huic potui ſunt aſſueti, & potiſſimum ſi ante, vel paulo poſt, quam prandium, vel cœna inchoata ſit, vaſculum aliquod ſatis calidum potauerint, hac enim ratione ab omni noxa frigidiſſimæ potionis ſemper, vel ſæpe, ſeipſos tueri teſtatur. Mihi autem ſtatuendum videtur eſſe, potum omnibus hominibus, qui intra limites ſanitatis exiſtunt, pro tuenda valetudine, conuenientem eſſe frigidum, æſtate potiſſimum frigiditate naturali, & non adaucta, ità vt frigiditas intra extremorum limites maneat, nec ad calidum, nec ad ſumme frigidum declinet, niſi ſeruatis quibuſdam caſibus, vt eſt frigiditas actualis aquę fontanæ, quæ tempe-

pe-

peratam illam, qua ſani hominis natura gaudet, frigiditatem in ſe continet, vt docet Galenus lib. 10. meth. cap. 11. lib. 2. de facul. ſimpl. med. Huiuſmodi enim frigidus potus iecoris, ac renum caliditatem attemperat, ventriculum, & omnes naturales facultates roborat, appetentiam facit, ac ſitim extinguit: Quod ſi vinum, vel alius potus non fuerit quantum opus eſt frigidus, gelidæ aquæ ſimplicis auxilio ad probatam frigiditatem redigi poteſt: nam ſi vinum, cum ſatis eſt frigidum, vaſe exceptum etiam in probatiſſima aqua magis refrigeretur, vitium aliquod, cruditatem nempe contrahit: nam dum frigeſcit denſatur, cruditas vero vt ſequatur denſitatem, ſicut & denſitas frigiditatem, neceſſe eſt. Circa potus quantitatem animaduertendum eſt, vt ad neceſſitatem, non ad voluptatem, aut intemperantiam potum, ſeu vini, ſeu aquæ ſumamus; parcitas adſit, ac modus, intemperantia omnis vitetur: Inter edendum vero bibere ad cibi commixtionem, & commodam delationem, atque diſtributionem oportet: nam ieiuno ſtomaco bibere, non licet quia neruis, & capiti maxime nocet, & podagram, ſpaſmumque gignet: Poſt epulas etiam, præſertim dormituris, à cœna bibere plurimum

K 2 no-

noxium eſt: nam concoctionem impedit, ac euertit, cibum ſupernatare facit, flatus generat, ac cruditates: Verum vbi ſitis vrgeat, vt quis à potu minime abſtinere poſſit, pitiſſando, vel ſugendo aliquo vaſculo anguſtioris orificij aquam potius, quam vinum bibat. Poſt exercitium, balneum, coitum mox bibere, potiſſimum ſi potio ſit frigida, exitiale eſſe ſolet, ideo Celſus lib 1. cap. 3. ſcribit, à labore ſudanti aduerſiſſima frigidæ potio, & Dioſc. lib. 6. cap. 33. aqua frigida abunde potu, aut vinum meracum liberalius epotum, præſertim à balneo, aut curſu, aut vehementi exercitatione, ſtrangulatus, ac dolores infert: Poſt fructuum eſum malorumve ciborum non eſſe bibendum, præſertim vinum, ratio ſuadet: nam efficit, vt ſtatim vitioſus ſuccus in vaſa permeet, & inconcoctus putredinem, ac malam qualitatem recipiat: poſt tamen eſum fructus horarij humidi, at facile putreſcibilis, vt ſunt ceraſa, mora, perſica, melones: Iſaac in diætis partic. iubet, vel nihil prorſus bibendum, aut modicum vini potentis: Alij tamen ſalubrius eſſe arbitrantur potius aquam, quam vinum potare, ne vini potu feruor, ac ebullitio accedat, præcoxque cibi ad venas tranſitus, & putredo, & obſtructio, cruditas, aut corruptela

ptela ſequatur, quod vinum hauſtum facere ſolet, cum aqua ſua frigiditate, & feruorem, ac putredinem inhibere poſſit. Vt autem celerius fructus ſubducantur, conſulunt, vt poſt illorum eſum iuſculum optimæ carnis calidum bibatur.

De Motu, ſeu exercitatione, ac de quiete. *Cap. VI.*

QVAMVIS opportunum, & innoxium alimentum pro vitæ inſtauratione ingeratur, nunquam tamen in ſubſtantiam membrorum conuertitur, quin excrementa vtilia remaneant, pro quibus expurgandis etſi natura meatus, & loca multa parauerit, quæ tamen cum exinaniendis non ſufficiant exercitatione egemus, vt per motum attrita, vel ſudoribus, vel ſenſibilibus, vel inſenſibilibus expirationibus ſeparentur: quemadmodum enim ſol aerem nebuloſum, ita exercitatio animalis: corpus purificat: quem motum tanti feciſſe videtur Galen. lib. 2. de ſan. tuen. vt ſalubritatis tutelam à labore auſpicandam, & ordiendam eſſe voluerit, & lib. de cibis boni, vel mali ſucci, dixerit, ad

Digitized by Google

conſeruandam ſanitatem eſſe maximum malum omnimodam corporis quietem, perinde atque maximum bonum eſſe, ſi corpora moderate exerceantur: calor enim multitudine excrementorum per exercitationem exoneratus, robuſtior efficitur, membra firmitatem maiorem acquirunt, omneſque corporis facultates in proprijs perficiendis operationibus expeditiores, ac fortiores euadunt: Ideo Hippocr. lib. de diæta ait, qui comedit ſanus viuere non poteſt, niſi laboret, & Ariſtot. 1. probl. 47. cur cibum minuere, laborem vero augere ſalubre eſt? an quia cauſam ægrotandi habet excrementorum nimietas, quæ tunc exultat, vel cum cibus ſupereſt, vel cum labor deeſt: & quoniam multiplices ſunt exercitationum differentiæ, deambulatio maximè eſt commoda,& omnibus fere communis, vt quæ recte vniuerſum corpus exerceat, appetentiam excitet, calorem natiuum exſuſcitet, membris robur reddat, excrementaque corporis inanire faciat: & poſt hanc æquitatio, & pilæ palmariæ luſus. Cum autem exercitium digeſtionem per corpus promoueat, atque adiuuet, cum illud perficitur, crudi, incoctique cibi, vel ſucci multitudo, vel in ventre, vel in vaſis contineri non debet, ne in omnem corporis habi-

tum

tum viribus exercitij cruda illa rapiantur: Nec exercere conuenit, ni prius alui, veſicæque excrementa naturalia excreta fuerint, vbi id conſuetum fuerit: expedit enim aliquando ante alui excretionem exerceri moderato exercitio his præſertim, qui aluum parum lubricum habent, & bene concoxerint, quoniam inter exercendum, cibi excrementa plerunque deſcendunt, & finita exercitatione aluus quaſi ſponte mouetur: Quatenus vero exercitatio meatus expurgat, & excrementa exturbat, ex vſu eſt, vt ante ciborum aſſumptionem adhibeatur, labores enim cibos præcedere debere docuit Hippocrates: Sed omnibus eadem exercitatio non eſt commoda, nam gracilibus, attenuatis, ac debilibus, & his, qui mollioribus cibis veſcuntur, exercitium mite, ac remiſſum, craſſioribus, ac fortibus, & his, qui durioribus cibis vtuntur, validum, ac robuſtum ex vſu eſt: & quod conſuetum eſt conſuetis vtile, in eis item, qui bene concoxerunt, & tardius fatigantur amplior, in eis, qui minus concoxerunt, & citius laborant, remiſſior. In quo, & temporis conditio eſt attendenda: in æſtate enim remiſſior, & lenior in vmbra: in hyeme concitatior, diuturnior, atque in ſole exercitatio conuenit:

Alia multa exercitationum genera recenſere omitto, vt erectum ſtare, vociferari, legere, canere, geſtari vehiculo, vel curru, lecticave vehi, natare, nauigare, venari, quia de his ſigillatim agere ad inſtitutum meum non pertinet: Quæ tamen ad hæc exercitationum genera conueniant in meo artis medicæ compendio breuiter collegi. Tandiu vero exercendum eſt, quandiu corpus intumeſcat, & color faciei floridus appareat, vel vbi ſudor, vel mador quidam calidus cernatur, vel fames eboriatur, aut vox longe minor efficiatur, vel corpus ad motum ſegne ſe præbeat, & vigor labatur; quæ cum adfuerint, tum primum exercitatio eſt omittenda, atque quieſcendum: & quemadmodum bonę valetudini ante cibum exercitatio maximum affert commodum, ſic ſumpto cibo motus noxius admodum eſt, vt Galenus animaduertit in lib: de cibis boni, ac mali ſucci, alimentum enim ex ventre ante concoctionem, in diuerſas corporis partes diſtribuitur, propter quod humoris crudi copia per venas aggeritur, quæ multiplices morbos affert, niſi vel multis laboribus is humor diſſoluatur, aut iecinoris, venarumque facultate concoctus, verſuſque in ſanguinem fuerit leuis tamen deambulatio, ac placida

Aubr.

vt

vt cibus ad imam ventriculi partem deſcendat, conuenit. In exercitatione capitis peculiaris cura haberi debet, ità vt quotidie depoſitis alui, ac veſicæ excrementis cum linteolis lineis modice calidis hyeme potiſsimum ab anteriori parte verſus poſteriorem leuiter fricetur, & poſtea eadem ratione pecti, & mox fortiuſcule fricari debet. Qui caput humidum habent, qui comam nutriunt, & alij, qui capitis lotioni ſunt aſſueti, illud lauare aliquando debent cum lixiuio aliquo medicato, ac linteolis ſiccis, & calefactis, diligenti cura exiccare, & poſtea illud munire, ne à frigore, vel vento lædatur: De vtilitate autem ablutionis capitis verba facit excellentiſsimus Ioannes Baptiſta Theodoſius epiſt. 47. Qui tamen deraſos, vel breues capillos habent à lotione, hyeme præſertim, abſtinere poſſunt: & pectione dumtaxat vti. Quemadmodum vero exercitium ad tuendam ſanitatem plurimum conducit, ita quies immodica, & otium conſummatum non ſolum corporis, verumetiam animi vigorem, obtundit, vniuerſus corporis habitus refrigeratur, calor natiuus hebetatur, omnes actiones vitiat, ac debiles efficit, torpidumque corpus, & ad labores obeundos ineptum facit, & multa alia mala parit: otium tamen me-

mediocre, ac ſuo tempore aſſumptum, ſua commoda habet: nam ſi quis ex multa corporis motione, ac labore corporis ſe defatigauit, huic otium, & quies conducit: nam vt teſtatur Hippoc. lib. 2. aph. 48. in omni corporis motu vbi laborare cœperit, quies ſtatim laſsitudinem aufert, ex quo illud Ouidij extat.

> Quod caret alterna requie, durabile non eſt.
>
> Hæc reparat vires, feſſaque membra iuuat.

Imo quiete eſt opus propter operationes: nam, vt ſcribit Ariſtot. lib. 10. Ethicor. cap. 6. delectatio, & quies non propter ſe, ſed propter operationem quæritur: Si qui tamen impediti exercere non poſſint, breui, ac raro decumbere, ac ſæpius ſtare debent, & cibis leuioribus, ac facilis coctionis, ſi natura toleret, veſci.

De

De Somno, ac Vigilia. *Cap. VII.*

QVARTA res ſanitatis conſeruatrix eſt ſomnus, ac vigilia ſi modus in illis adhibeatur; nam ſomnus pro tuenda valetudine moderatus, ac tempeſtiuus eſſe debet, quia facultates omnes roborat, corpus reficit, coctiones omnes adiuuat, ac meliores facit, viſcera roborat, & cruditatibus ita prodeſt, vt illarum ſit præſens quaſi remedium, corpuſque calefacit, & humectat: ſenibus autem adeo confert, vt nihil aliud fere quidquam, aut ſenectutis duritiem emollire, aut deperditam in ipſis humidam ſubſtantiam reparare magis poſſit, ex quo illud Homeri eſt à Galeno lib. 5. de ſan. tuen. citatum.

Vt lauit, ſumpſitque cibum, det membra ſopori.

Somni autem tempus aptiſſimum eſt nocturnum, quod per ſilentia noctis comodius, prolixiuſque dormiamus, & ab eius frigiditate calor magis ab externis ad interna pellatur, ac reuocetur: diurnus vero ſomnus magna

affert

affert detrimenta, vt animaduertit Hippocr. 2. præſag. lib. vbi, interdiu, inquit, vigilandum, noctu dormiendum eſt, ſi contra immutetur peſſimum eſt: nam diurnus ſomnus cerebrum humore nimio, vaporibuſque plurimis imbuit, capitis grauitatem, & aliquando dolorem facit: At ſi defatigationis, ac laſſitudinis contractæ ex labore ſenſus aliquis ſit, aut inquieta, & inſomnis nox præceſſerit, vel calor immodicus vires fregerit, vel longa adſit conſuetudo, præſertim longioribus diebus, tum ſomno diurno, tantiſper indulgendum erit: ſcribit enim C. Celſus lib. 1. cap. 2. longis diebus meridiari, hoc eſt, ſomnum meridianum capere potius ante cibum, ſin minus poſt eum: ſomnus vero poſt prandium longior temporis progreſſu corpus graue, ac pigrum facit, catarrhus oboritur, memoria læditur, ac color ſit pallidus: cui verò ex quadam proprietate nullum horum accidit, ſed cum à ſomno expergiſcitur, corpore agilior, mente magis compos, ac facie iucundior cernitur, is tuto poſt prandium dormire poteſt. Quo tempore magis conducit, vt ſomnus capiatur capite eleuato ſuper ſede aliqua, quam depreſſo cubili dormire: illud enim minus, id magis, caput implet: Menſura autem ſomni tanta erit, quanta nos

probe

probe concoquiſſe, robuſtioreſq; inde factos eſſe, cognoſcamus, quæ menſura, etſi omnibus eadem eſſe non poſſit, ſed pro natiui caloris in quopiam, aut copia, aut penuria, ac temperamenti bonitate, aut infœlicitate, variari debeat; tamen commune id fere omnibus eſſe ſolet, vt ſeptem, vel octo ad ſummum horarum ſpatio, & recte concoquant, & ſatis ſomno indulgeant: Hyeme tamen, & vere aliquanto longiores etiam natura poſtulat. Somnus autem non debet ſtatim à cœna inchoari, ſed inter hunc, & illam conueniens interuallum ad minus horæ vnius cum dimidia intercedere debet, expectandum enim eſt, donec cibus à ſuperiore ventriculi parte ad inferiorem deſcendat: quod vt facilius, ac citius fiat poſt cœnam leuiter ambulandum eſt: ieiuno ventriculo dormire corpus imbecillius reddit, ac extenuat, quoniam ſuccus vtilis, qui intus eſt, abſumitur, ac ventriculum, malis refert humoribus: Dormientem oportet in latus dextrum, vel ſiniſtrum decumbere, & brachia, ceruicem, ac crura parum reducta habere, & totum corpus molliter poſitum, vt docet Hippocrat.in primo præſag. com. 1. tex. 6. ſupinum vero decubitum maxime vitare oportet, quia grauiſsimis malis initia præbet, & defluxiones

ex-

excitat: & ſicut immodicus, ac intempeſtiuus ſomnus maxima affert corpori detrimenta, ita & immodica vigilia, vel intempeſtiua corporis vires labefactat, ac perdit, corpus reſoluit, & exiccat, ac breuiorem vitam facit. Vigilia autem moderata, ac temperata ſenſus admodum excitat, vires ad functiones componit, & corporis excrementa reſoluit. Qui igitur valetudinis propriæ curam habere volunt, operam dare debent, ne vigilijs ſeſe conficiant, nec vel ſtudiorum amore, vel rei gerendæ nimia cupiditate, plus æquo vigilantes vna cum vigilia vitam perdant.

De excrementorum naturalium euacuatione. Cap. VIII.

QVINTO loco omnis naturalis euacuatio eſt procuranda, ex ea enim corpus quaſi ſarcina leuatur, illudque robuſtius, & ad functiones aptius reddit: contra ſi retineantur, quæ naturali euacuatione excernenda ſunt, aut parcius, aut non qualia, & quando expedit, excernantur, morborum cauſa fiunt: Natura-

les,

les, & ad vitam neceſſariæ euacuationes, ſunt alui deiectio, vrinæ è renibus, & è veſica profuſio, ſudoris vniuerſi corporis exhalatio, bilis flauæ è ſuo folliculo, & bilis atræ è liene in ventrem emiſsio ex Galeno 5. meth. cap. 11. & lib. de ſect. cap. 9. Aliæ vero ſunt euacuationes, quæ non ſimpliciter, ſed vel in tempore, vel ex conſuetudine neceſſariæ ſunt, vt menſium, hæmorrhoidumque ſumptio, mucus è naribus, & palato, ſputum è thorace, lac è mammis, & ſemen è ſpermaticis vaſis: nam ſi excrementa in corpore diu permaneant, putreſcunt, ſi autem tempeſtiue, ac moderate excernantur, ſalubria ſunt: Cum autem multum conferat ad ſanitatem tuendam, ac vitam prorogandam, vt alui excrementa recte excernantur, ſi natura in hac operatione deficiat, medicus debet illam ſtudioſe iuuare, non medicamentis purgantibus, quæ Galen. lib. 6. de ſanit. tuen. & lib. 3. aphor. com. 15. improbat, cum ex illorum vſu corpora in malam trahantur conſuetudinem, nutritionem prohibeant, ventrem peracta euacuatione ſiſtant, & ſenium accelerent, ſed ijs, quæ ventrem mollire, ducereve dicuntur: Inprimis mollire aluum ſolet cibus auctus, qui tamen repletionem non faciat, potus auctus cibis paulatim, ac fre-

quen-

quenter immixtus, ſi tamen vina ſint tenuia, & aquoſa mediȩ ætatis, vel ſi ſint meraca, ac vetera, plurima aqua mixta: Ideo inediam ferre, ac ſemel tantum in die comedere non expedit. cibaria omnia ſumantur ex irriguis, ac humidis locis, ac magis domeſtica quam agreſtia, & præſertim olera humida, vel etiam calida, vel aliquatenus acria ſimul, quæ tepidiora, ac flacidiora exhiberi debent: Fructus recentes, ac cibi oleoſi conueniunt, ſicut, & iuſcula ualde calida ſæpe ante cibum aſſumpta, carnes pingues animalium iuniorum flacidæ, quæ uidelicet aliquot ante diebus mactatæ fuerint, ac præcipue illarum iura: Cibi quoque leues, ac debiles ex uſu ſunt, ſicut elixi magis, quam aſsi, ac præſertim ſalſa cibaria, etiam dulcibus permixta: Aſtringentia uerò, & amara ſi capere contingat, cum pinguibus miſceantur: Aluum ſubducunt quædam, quæ lentoris ſunt participes, ut in alua, extremæ animalium partes, ac ptiſſana hordeacea: motus moderatus, & erecto corpore factus poſt cibum, ut fœces deorſum ferantur, & excernantur adiuuat, quemadmodum ſæpius ſtare, quam ſedere, ac ipſum crebrius, quam iacere: Cum deſidendi uoluntas adeſt, & natura mouet, differri non debet, nec cohiberi: urinam cientia, diu-

diuretica dicta, aluo aſtrictæ haud idonea ſunt, ſuccos enim humectantes ventrem, ad renes trahunt: Nimius labor, tum frequens, nimius ſudor, nimia vigilia ſatis ſuperque ventrem, ac totum corpus exiccant: crebra balnea, ac natationes, & aquilonium ventum vitare expedit: vomitus frequentes, purgationes, & clyſteres aluum ſiſtere ſolent, niſi clyſteres ex rebus pinguibus, vel oleoſis fiant, qui tamen non ſunt aſſidue inijciendi, vt monet Paulus lib. 1. cap. 44. ne natura his aſſueſcens, ſpontaneæ euacuationis obliuiſcatur: Qui quotidie cibum conuenientem, ac neceſſarium ſumunt, niſi ſponte egerant, ſæpius ventrem inuitare debent, vix enim fieri poteſt, quin interdum obediat, ac ſæpius egerere aſſueſcat: Vt aluus lubrica reddatur, vt quamprimum homo ſurrexit, tantiſper ſcaphio, ſeu trullæ cum aliquo nixu, ſed moderato, ac ſenſim (nimius enim, ac violentus obeſt) inſideat, dum quarta, quintave horæ pars prætereat: mox vbi domum redit, vt id quod in matutina decoctione, relictum eſt, euacuetur: Idem paullo ante prandium agat; quod ſi non ſuccedat, paulo ante cœnam, ac etiam poſt cœnam excernere tentet, præſertim ſi grauitatem in lumbis, ac in ventre percipiat: Quod,

ſi his rationibus, ac induſtria excrementa adhuc non excernantur, mane, vel veſperi ante cibum clyſter tepidus, & non calidus, inijciatur, qui vel ex oleo, vel butyro, vel vtroque mixto ad vncias decem plus minuſve ſit paratus, quibus ego addere conſueui ſuccum maluæ ad vncias quatuor, & expertus ſum poſt illius excretionem, vt plurimum, aluum lubricum reddi, potiſſimum ſi diu in ventre moram trahat.

An coitus conferat, vel obſit ſanitati, ac vitæ longitudinem. Cap. IX.

VTRVM vero venereorum vſus conferat ad incolumitatem, ac vitam prorogandam, vel potius officiat, & vitam breuiorem efficiat, ſcio à peritiſſimis viris diſputatum eſſe: quam tamen controuerſiam ita definiendam eſſe cenſeo. Seminis excretionem vtilem, ac ſalubrem eſſe illis, in quibus multum illius in vaſis ſpermaticis colligitur: ſed quemadmodum aliorum excrementorum naturalium euacuatio eſt opus naturæ, & illa vtilis eſt, quæ à natura recte operante efficitur,

Digitized by Google

tur, ita & ſeminis excretio eſt naturæ opus, quæ cum à copia illius ſtimulatur, illud ſponte, & recte excernit, ex quo leuitatem corpori adfert, faciliorem reſpirationem facit, & meliorem habitum conciliat, & nonnulla alia bona præſtat: ſed ea ſeminis excretio, quæ ex concubitu cum muliere, vel alia, ſed impia ratione procuratur, non poteſt viribus non obeſſe, homines imbecilliores reddere, ac vitam breuiorem efficere. Idcirco ſalacia animalia, & quæ multum ſemen emittunt, citò ad ſenectutem perueniunt: nam ſemen copioſius emiſſum exiccat, vt hac de cauſa mulus longioris ſit vitæ equo, & aſino, ex quibus genitus eſt: neque enim abundat ſemine, neque crebro venerem exercet: Quin etiam fœminæ ob id maribus ſunt diuturnioris vitæ, ſi mares ſunt ſalaces, vt paſſeres fœminæ ſuis maribus: Quod facile probari poteſt: nam Hippocr. lib. de genitura ait, à veneris vſu paucula re emiſſa imbecilles, ob id reddimur, quod ab omni humido genitura iure proueniat, & id, quod robuſtiſſimum eſt, euacuetur: Galenus quoque lib. 4. de ſanit. tuen. cap. 11. ſcribit, corpus à veneris vſu laxius, frigidius, imbecillius, ac ſiccius effici, & lib. 3. in 3. epid. com 87. venus neruos, ac cerebrum multum lædere, tum vires

elidere, ac debilitare, & primo in 3. epid. com. 4. cerebrum labefactare non mediocriter cum illius abſtinentia illud confirmet maxime: in lib. autem de ſemine cauſam reddit, cur ex coitu imbecillitas ſequatur: quoniam, inquit, vniuerſum corpus puriſſima parte fraudatur, & accedit etiam voluptas, quæ vel ſola idonea eſt ad vitales vires diſſoluendas: vt non nulli nimia voluptate affecti interierint: Cur Hippocr. 1. in 3. epid. tex. 4. coitum morbo comitiali ſimilem iudicauit? ait enim, coitum eſſe quandam paruam epilepſiam, niſi quia mentem, quæ res ſacra habita eſt percellit, Ariſtot. etiam lib. 1. de gener. animal. cap. 18. de ſemine verba faciens, ait diſſolutio, ac imbecillitas manifeſta conſequitur, vbi vel nimium id ſeceſſerit, pauci vero quidem ex breui tempore per ætatem leuantur, vbi videlicet copia ſuperant, & 4. probl. ſec. prob. 22. quare, inquit, qui concubunt, reſolui, ac languere magna ex parte ſolent: itaque vt ædificij conſtructio, ſic corporis compactio, quatitur, dum ſemen decidit. Quod lib. etiam 5. de gener. animal. cap. 3. peculiariter de cerebro teſtatur, vbi ait, cum cerebrum frigidiſſimum omnium corporis partium ſit, tum rei Venereæ vſus refrigerat, caloris namque

ſin-

ſinceri, naturaliſque ſecretio eſt: itaque cerebrum ſentit merito prius, quæ enim imbecilla, vitioſaque ſunt, cauſa parua, exiguoque momento immutantur: Imo veneris vſus ita noxius eſt, vt Auicenna in lib. 3. de animal. dixerit, ſi quid ſeminis ſupra quam natura tolleret, coitu profluat, obeſſe magis, quam ſi quadragies tantundem ſanguinis emanaret: Quod & exemplis probari poteſt, ſcribit enim Plinius lib. 7. Cornelium Gallum, & Quintum Heterium Equites Romanos in veneris vſu obijſſe: nam cum ſeminis excretione multa etiam ſpirituum, ac præſertim vitalium effunditur portio, totum corpus concutitur, & incaleſcit: tanto enim abundantius emittitur ſemen, quanto vero cum maiori voluptate excernitur: Idcirco ſi plurima imaginationi ad rem facientia repræſententur, maior voluptas, ac titillatio ſequitur, & ob id copioſior ſeminis emiſſio, maxima enim pars motuum venereorum ab imaginatione oritur. Ideo ſi imaginatio compeſcatur, & venereis ſpectris non detur locus, venerei motus non percipiuntur, ac virilia torpeſcunt: Interrogatus Clynias Pithagoricus, vt ſcribit Plutarchus lib. 3. ſymp. quando mulieribus commiſceri expediret, cum quis velit, reſpondit, ſeipſo fieri imbe-

Digitized by Google

cilliorem: Perrari ſunt admodum illi, qui in licita venere ſeipſos moderare ſciant, & illa tantum vti, cum ſeſe grauatos perceperint, vt Galenus in arte medic. docet: Quod ſi matrimonio vincti ex eo, quod ſeipſos cohibere nolunt, & voluptate potius, quam ratione, ducti, ex immoderato veneris vſu valde læduntur, quanto magis alij, qui non ſolum ex contemptu præcepti diuini lethalem culpam contrahunt, & conſcientiæ ſtimulum comitem habent, verum etiam quod nimio libidinis ardore vehementius, ac immoderatius libidini indulgere ſolent, cum imbecilliores fiant, tum vero maligna febre ſæpius correpti intereant, id quod plurimis experimentis mihi compertum eſt, euacuatio etiam ſeminis ſponte facta noxia eſſe poteſt; ſi frequenter, vel copioſius, quam conducit, fiat, quæ etſi ratione vitioſi ſeminis euenire interdum poſsit, vt plurimum tamen accidit ratione conſortij, vel aſpectus mulierum, vel tactus, vel reminiſcentiæ voluptatum, vel lectionis obſcænorum librorum, vel colloquiorum impurorum, vel vſu earum rerum, quæ venerem ſtimulare valent, & quas tutius eſt ſilere, quam ſcribere. Qui igitur ſanitatem cuſtodire, ac longiorem vitam degere optant, ſi matrimonio ſoluti ſunt, & carnis

ten-

tentamenta ſuperare, vel cohibere non poſ-ſint: præter remedia ſpiritualia, irritamenta omnia vitare, vinum præſertim, turpes imagines, ac alia relata ad venerem ſtimulantia reijcere, uictus parſimoniæ, laboribus, uigilijs, ac ſtudijs largius uacare debent: nam cum ſemen ſit utile excrementum, tutius exercitio, & abſtinentia, quam coitu, euacuatur: prætereà à carnibus, ouis, uinis uinoſis potiſſimum abſtineant, quantum pro corporis ſalubritate conuenit, dum genitura nimis abundat, & præ copia æſtuat; ſomnum capiant ſupra ſtrata duriora, ut hyeme lanea, æſtate palearia, nequaquam uero ſupine, uel ſupra dorſum. Quod ſi hæc ſemen, uel ardorem, non compeſcant, conſulto medico utatur remedijs inferius præſcribendis. Recip. ſem. agni caſti, ſem. mentæ, ſem. acetoſæ, ſem. portulacæ, ſem. plantaginis an. drach. v. terantur, & cum ſaccharo liquato cum aqua mentæ fiant morſelli, quorum drach. j. vel duas deuorent ſingula nocte in lecti ingreſſu, & bibat hauſtum vnum aquæ plantaginis, vel alterius ſimilis, & ſtatim poſt inungi faciant totam renum regionem vnguento hoc. Recip. ſucci ſolatri, ſemperuiui, ac plantagini, olei myrtini, roſati omphacini, an. vnc. 5. ſem. acetorum ſ

portulacæ, plantaginis an. drach. j. roſarum rub. corallorum rub. an. drach. j. s. ſandalorum rubeorum drach. ij. terantur terenda, & cum cera fiat vnguentum pro renibus: huius vice vti poterunt vnguento ſandalino, vel ſimplici, vel cum infrigidante, ac roſato.

Circà doctrinam huius capitis amicus meus ex me etiam percunctari voluit, cur de veneris vſu agens, de maſculis dumtaxat loquar, cum fœminæ etiam ſemen, ac procreationi aptum proferant: cui ſi ex Peripateticorum doctrina reſpondere volo, dicam, cum ex illorum principe lib. 1. de gener. animal. cap. 18. 19. & 20. & lib. 2. cap. 4. fœminæ ſemen non emittant, quia loco ſeminis menſtrua habent, & ſemen eſt in menſtruis, nullam ex congreſſu venereo percipere læſionem poſſe, & ſi quid eiaculantur, non eſſe ſemen, ſed quandam tenuem ſaniem, ac infœcundam ex illius ſententia: Quia tamen Galenus aliam habeat ſententiam, ac meliorem ſequutus eſt, quod videlicet fœminæ ſemen emittant, hac potiſſimum ratione ductus, quod teſticulos, ac ſeminis vaſa eadem, ac in maribus, materia alba, ac ſeminali referta habeant, cum etiam eas per inſomnis interdum non cum minori voluptate, quam in coitu, ſemen eiaculari manifeſtum ſit, &

filios

filios ſimiles aliquando gignant, aliam reſponſionem afferre debet: Cum fœminæ ex eiuſdem Galeni ſententia lib. 14. de vſu part. cap. 6. ex caloris penuria teſticulos minores, imperfectioreſque, & ſemen tum parcius, tum frigidius, humidiuſque habeant, fit, cum ſemen illarum ſit ſatis imperfectum, fluuidum, & aquoſum, minori ſpirituum, ac caloris copia refertum, vt ex illius excretione parua, ſeu nulla incommoda ſubeant, experianturque, & intemperato veneris vſu imbecilliores minime, vel parum fiant: rei veritas ſenſus teſtimonio comprobatur: cognoui ego pleraque ſcorta, quæ etſi frequenter venerem exercerent, erant tamen boni habitus, ac coloris, integra valetudine fruebantur, ac diu vixerunt, & multas etiam honeſtas mulieres, quæ à proprijs viris frequenter ſubagitatæ incolumes degebant, cum tamen viri debiles, ac infirma valetudine eſſent.

De

De animi perturbationibus. Cap. X.

SEXTA, ac poſtrema res, quę valetudini valde obeſſe poteſt, ac vim Climactericorum annorum augere, ſunt animi perturbationes; motus ſcilicet concitati, ac turbidi animi rationi non obtemperantes, à quibus corpus alteratur, & à naturali ſtatu euertitur teſte Galeno lib. art. med. cap. 85. tanta enim eſt corporis, & animi connexio, vt ſola imaginatione multas, varias, ac ingentes corporis mutationes, & ægritudines fieri, compertum ſit: Quapropter illis cum obrepunt, vel adoriuntur, locum non dare, ac forti animo eas repellere, plurimum ad ſanitatem tuendam, & ægritudines præcauendas, confert: ſunt autem ex Galeno citato libro quinque, ira, triſtitia, furor, timor, ac inuidia. quibus Cicero in 4. Tuſcul. quæſt. addit, æmulationem, obtrectationem, miſericordiam, luctum, dolorem, lamentationem, ſolicitudinem, moleſtiam, afflictationem, deſperationem, terrorem, verecundi-

am,

am , maleuolentiam , odium , inimicitiam , gaudium , deſiderium , ac cupiditatem: Quibus autem rationibus hæc animi pathemata corporis temperiem peruertere, calorem innatum imminuere , & varias ægritudines excitare poſſint , manifeſtum erit, ſi earum, quæ frequentiores ſunt , ac præcipuæ cauſas , & effectus explicauerimus , ab ira exordientes: nam cum ira ſit citatiſſimus animi ad vindictam motus, feruorque ſanguinis in corde ex Ariſtotele , & Galeno , natiuum calorem excitat , accendit , ac ab intimis partibus ad extimas valido impetu mouet , ita vt quandoque animi deliquium , ac ſyncopem faciat, vt ait Galen. lib. 12. meth. cap. 5. & ſi immodica ſit , corpus adeo calefacit , vt illud in ephemeram , vel putridam febrem agat, propterea 3. Eccleſ. cap. 30. ſcriptum eſt , zelus , & iracundia minuunt dies , & ante tempus ſenectam adducit cogitatus : Timor verò , qui eſt metus alicuius mali , è conuerſo cum calorem natiuum , ſpiritus , ac ſanguinem intus pellat , obruat , ac ſtrangulat , fit, vt extimæ partes algeant , color faciei ad pallidum mutetur , vires concidant, & interdum etiam mors ſequatur , & multo magis , ſi cum timore adſit imaginatio , ac opinio de ægritudine , vel morte futura : tanta enim

eſt

eſt vis imaginationis, ac cogitationis vehementis, vt corpora alterando, ac immutando cogitatæ ægritudines, atque adeo interitus eueniant: nam ex imaginatione magni fiunt ſpirituum motus ad diuerſas corporis partes, ex quo corpora alterari neceſſe eſt, vt patet ex Ariſtotele lib. de motu animal. quam rem ego fusè lib. 2. de morb. venef. ca. 1. explicaui: Ideo tutiores in annis Climactericis illi erunt, qui fidentes ab omni metu liberam vitam duxerint: Mœſtitia vero, ſiue triſtitia, quæ eſt angor ægritudo præmens animi, cum ſit motus magis lentus, in quo calor confertim ſeſe non contrahit, ſed paulatim, tantum periculum, quantum timor, & pauor inferre haud poteſt: corporis tamen habitum tabefacit, vigorem eneruat, ſpiritum vitalem diſſoluit, languoreque diuturno corpus fatigat, ex quo optime in Prouer. 17. ſcriptum eſt, ſpiritus triſtis exiccat oſſa, & cap. 30. Eccleſ. multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa, cap. etiam 25. Prouerb. ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ità triſtitia viri nocet cordi. Gaudium profuſum, ac inſolens, vel immodicum, ac repentinum incurabilem ſæpe corpori noxam, ac mortem etiam incunctanter adfert, diſſipat enim confeſtim, atque exoluit omne

vi-

Digitized by Google

vitale robur, nam calorem adeò vehementer à corde in extima corporis effundit, vt illud caloris beneficio omnino deſtitutum coruat, & extinguatur: gaudium verò moderatum, ſpiritum vitalem fouet, calorem natiuum exſuſcitat, ſanguinem, humoreſque tenuat, & cor confirmat. Ideo Prouer. 17. legitur, animus gaudens ætatem floridam facit: ſed quod nam eſt magis noxium pathema animi, quam ob peccata conſcientiæ ſtimulus, de quo Galenus, & Cicero verba facere ignorauerunt: nam cum peccatum aliquid ægritudinis, vel infortunij, vel ad annos criticos accedere contingit, affligitur, ac proſternitur, pauidus eſt ſemper de morte, formidans Dei tremendum iuditium, & tartari pœnas perhorreſcens, ſemper conſcientiæ ſtimulo vexatur, & exagitatur, interiora cordis mirandum in modum diſtringente: ſtatus enim peccati continuos exſuſcitat timores, inquinato, conſcientiæ vis dies, nocteſque torquet, & exedit: Qui igitur à periculis horum annorum cuſtodiri volunt, ſi in peccatis fuerint, illa deteſtentur, ac confiteantur: nam ab illa, qua præmuntur, ſarcina peccatorum exoneratis, exhilaratur animus, fugiũt metus, frons, & ſupercilium exporrigitur cor à prauitate, & noxia peccatorum labe,

atque

Digitized by Google

atque atrocitate non amplius vrgetur, quò fit, vt ſperando, horum annorum iniuriam non experiantur. Iſti, ac etiam omnes alij relatas noxias animi perturbationes corrigere ſatagant, iracundiam lenitate, manſuetudine, ac comitate demulceant, metum, ac formidinem animi firmitate, atque conſtantia abigant, in Domino, vt ait Apoſtolus gaudeant, illius auxilium implorent, ac in eo omnem ſpem ſuam reponant ſæpe commiſſa delicta ſacerdoti confiteantur, & ſacra communione ſe ſe reficiant. Quod ſi his addant in victu continentiam, & vtantur illis rebus, quæ prodeſſe, & vitent illa, quæ obeſſe, ſibi ipſis obſeruarunt, Climactericos annos fœliciter tranſigere, ac vitam protrahere, poterunt.

FINIS.

Soli Deo honor, & gloria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic Corrige.

In Epiſtola Dedicatoria

pag.	lin.	Error	Corrige
2	3	apparẽtes	apparere
4	7	adducat	adducatur
	12	dubitat	dubitet
	15	accepit	euexit
	18	tamen	tantum
vlt.	2	veſtigia	veſtigio
	5	Deus	Deuſq;

In Epiſt. Bipliopolæ ad Lect.

pag.	lin.	Error	Corrige
	4	Cõmen-tarium	Cõmen-tarius
	13	Si aliquis	Si aliquẽ
		error	errorem

In Indice Capitum.

pag.	lin.	Error / Corrige
1	12	patefit, adde, & ſcilicet illius ſententiæ explicantur.
3	6	vbi. adde. confutatur primò illorum opinio, qui aſſerũt

In prima Parte.

pag.	lin.	Error	Corrige
	26	cuiuſq; ue	cuiuſq;
		nati	nati
3	5	generi	geneſi
	8	&	ea
4	5	maximi	maxime
6	10	difficilliſ-ſimos	difficil-limos

pag.	lin.	Error	Corrige
	13	imparis	impares
7	12	Apolloni	Apollini
8	2	Andro-des	Andro-cles
	3	Rhodigi-ne	Rhodigi-no
	pe.	numeri, &	numeri, vt
9	16	teneis	tineis
	22	nonnullis	nonnullæ
10	5	in melio-rem	in meliorẽ debere
17	16	dele re.	
23	26	ægritudi-nes	ægritudi-nis
24	1	ictericon	ictericum
29	3	veterum	ve rerum
	14	Zuccharã	Zucchara
	22	mirabilis, adde auctoris	
30	16	aduerſi	aduerſæ
31	9	adde aphoriſmorũ.	
33	19	periculoſe	periculoſi
34	6	alij vt	alij ve
35	14	Comarius	Cornariꝰ
37	23	adipiſcen-tur	adipiſcã-tur
	26	primi	priori
38	2	vt	in
	12	ægritudi-nis	ægritudi-nes
		finiatur	finiantur

pag.	lin.	Error	Corrige	pag.	lin.	Error	Corrige
	14	ſunt.adde,iudicato-rij & clim.		85	1	coagulari	coagula-rique
		ſed	ſic	97	12	ſententia	ſententiæ
	21	Comarius	Cornari⁹	103	18	non	an
	pen.	cōſueuiſſe	cōſueuiſſe ſcribit	104	2	dixiſſe	duxiſſe
				110	24	varia	variæ
39	11	ita	vita	112	21	dicotomion	dicotomiæ
40	2	&	ex				
	9	cares	caui	115	19	acuti	aucti
42	12	id crederit	id oīnò crederet	118	12	innata	innatæ
				119	15	lapſo	lapſis
48	4	poterunt	poterant	121	23	dere	doct.
	20	opero	operæ		vlt.	vi	in
	24	vnam	vnum	124	13	præſtan.	præſtare
52	pe.	vir	vis		15	in	à
	vlt.	contradi-ctória	contradi ctoriæ	126	10	ratione	oratione
				128	14	finis	fimis
56	5	Arologis	Aſtrologis		15	habitu	halitu
	16	ordini	ordine	130	2	ſenſu	cenſu
58	13	frangere	frangent	132	10	inceſsātes	ineſcātes
	20	hominis	ominis	133	10	diſpoſitū	diſputatū
59	7	cadunt	volunt	138	7	conferiſſe	cōfeciſſe
60	15	temporis	tempus	146	6	aliquot	aliquos
	25	horam	horarum		16	viſculum	iuſculum
62	23	ſuarum	ſuauem	148	12	potu	pota
65	18	&	eo	152	12	eboriatur	oboriatur
67	16	Criſibus	ſex rebus	159	9	ſumptio	erruptio
73	1	effēctu	effatu	160	21	in alua	malua
	10	proficiet	proficiat	161	23	decoctione	deiectione
79	15	neceſſariā	neceſſarium	164	20	ſuperant	ſuperarit
	22	naturæ	natura	166	5	vincti	iuncti
84	5	genitum	genitura	167	27	plātagini	plātaginis
	7	mēbranā	mēbrana		28	acetorum	acetoſæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google